B 761

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deverareligionee0000jvba

De

Vera Religione

et Apologetica

OUVRAGES THÉOLOGIQUES
DU MÊME AUTEUR

Nature et Surnaturel. Élévation, Déchéance, État présent de l'Humanité. *Quatrième édition.* 1 vol. in-18 jésus. Paris, Beauchesne . . . . . 3 fr. 50

La Dévotion au Sacré-Cœur de Jésus. Doctrine, Histoire. *Troisième édition, revue et considérablement augmentée.* 1 vol. in-16 couronne. Paris, Beauchesne. 4 fr. »

De magisterio vivo et traditione. 1 vol. in-8. Paris, Beauchesne . . . . . 3 fr. »

De Scriptura sacra. 1 vol. in-8. Paris, Beauchesne. . 3 fr. »

De vera religione et apologetica. 1 vol. in-8. Paris, Beauchesne . . . . . .

Les Contresens bibliques des prédicateurs. 1 vol. in-12. *Deuxième édition, revue et augmentée.* Paris, Lethielleux . . . . . 2 fr. »

La foi et l'acte de foi. 1 vol. in-12. *Deuxième édition, revue et augmentée.* Paris, Lethielleux. . . . . 2 fr. 50

Marie, Mère de grâce. Mémoire présenté au Congrès marial de Fribourg, août 1902. Brochure in-8. Paris, Retaux (Téqui) . . . . . 0 fr. 60

Hors de l'Église pas de salut. Dogme et Théologie. 1 vol. in-16. Paris, Beauchesne . . . . . 0 fr. 75

La Vie intime du Catholique. 1 vol. in-16. Paris, Beauchesne . . . . . 1 fr. 25

Tous droits de traduction, de reproduction et d'adaptation réservés pour tous pays.

J.-V. BAINVEL
LECTOR THEOLOGIÆ IN FACULTATE CATHOLICA PARISIENSI

De

Vera Religione et Apologetica

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

PARIS
Gabriel BEAUCHESNE, Éditeur
117, Rue de Rennes, 117
—
1914

1475

Nihil obstat

Parisiis, die 17ª Januarii 1914.

J. AURIAULT.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 30ª Januarii 1914.

P. FAGES, v. g.

PRAEFATIO

Tractatibus *De magisterio vivo et traditione ac De Scriptura sacra*, quos paucis ante annis in publicam lucem dedi, accedit nunc tractatus *De vera religione et apologetica*, quem ipsum sequetur brevi, si Deus dabit, *De Ecclesia Christi*. Sic tardo illud quidem gradu, sed tamen ad finem tendit quod jamdudum in animo habebam, ut summulam aliquam theologiae fundamentalis, quae dicitur, quam potui brevissime contractam, absolverem et in publicum usum ederem.

Hanc vero brevitatem postulare visa est ipsa scribendi causa vel occasio. Eo enim consilio haec primum scripta sunt ut haberent in manibus auditores brevem aliquam praelectionum quasi adumbrationem et synopsin, qua in praeparandis, in audiendis, in repetendis lectionibus, in toto denique privato labore et praelectionum usu quolibet adjuvarentur. A qua postea brevitate non recedendum putavi. Immo non sua eam jucunditate suoque commodo carere existimavi. Est enim saepe quaerenti vel legenti gratum simul et utile quidquid de aliqua re cupit scire, paucis vel indicatum vel declaratum, facile invenire. Accedit quod iis et loquebar et scribebam quorum plerique non erant eorum quae tractabantur omnino rudes,

sed ea jam antea in seminariis aliquo modo attigerant. Unde fit ut cum brevitate dicendi conjuncta rerum vel copia vel intima, quantum fieri potuit, quaestionum scrutatio aliquam fortasse primo adspectu legentibus difficultatem sit habitura. Quanquam ea difficultas talis videtur esse ut potius ingenium acuat ad investigandum quam a conatu retundat. Quod maxime tum fiet si magister aderit qui vel librum discipulis quasi praelegat (quemadmodum et mihi in votis esse non diffiteor, si fieri posset, et alicubi factum adhibitis in usum meis qui jam prodierunt libris cum gaudio audivi), vel certe ita commendet ut ad juvandam lectionem praesto ipse sit. Ita enim magistros, cum ea opuscula scribebam, prae oculis habebam ut simul discipulis et prodesse ea vellem et profutura, si ipsis traderentur, sperarem.

Atque haec quasi pro communi totius operis praefatione, cujus hoc, quod nunc legentium benevolentiae committo, loco primi voluminis haberi volo. De hoc autem pauca sunt quae addam, cum pleraque vel ex ipsa inscriptione vel ex praeambulis vel ex rerum indice vel certe ex prima libri inspectione futura sint manifesta.

Quantae in eo sint apologeticae theoriae partes, cum ipsa libri inscriptione innuitur, tum ex eo apparet quod plus quam dimidium operis apologeticis quaestionibus attribuatur. Qua in re non tam polemice agendum aut in controversias irruendum existimavi quam conandum ut statum quaestionum, quantum equidem capiebam, ostenderem et theses statuerem aut asserta proponerem quibus quae rejicienda erant rejicerentur, quae autem admitti, etiam si nova essent, posse videbantur, ad integrandum, ut nunc dicitur, apologeticae systema admitterentur. Quod ut prudenter efficerem, non modo ecclesiastica

documenta, quorum praecipua in ipsis jam praeambulis tradita sunt, semper ob oculos habui, sed etiam Christi, Apostolorum, veterum apologetarum practicam apologeticam diligenter, citra omnia partium, quantum potui, studia, consideravi, quorum etiam specimina quaedam, prout fere occurrebant, quantum per brevitatis et proportionis rationem licuit, exhibenda curavi. In hac fere luce quid de recentioribus apologeticae quae circumferuntur formis ipse sentirem libere aperui; in hac luce apologeticam equidem de nostrae religionis credibilitate non tam institui demonstrationem omni numero absolutam, quam hujus demonstrationis adumbrationem aliquam delineavi.

Sentio scilicet ampliorem et copiosiorem requiri, pro argumenti dignitate, tractationem. Sed nostrae intentionis fuit, ut jam dictum est, ea quae essent necessaria brevissime comprehendere, et, datis ad fusiorem rerum explicationem adjumentis, hanc ipsam explicationem vivae magistrorum voci relinquere.

Quod autem operi deest praestant aliquo modo libri, quos multos passim indicavi, non tam eo consilio ut optimum quemque seligerem quam ut aliqua ratione ostenderem quam multi quam varie de his rebus scripsissent. Praestant etiam aliqua ex parte appendices. Quarum prima debetur Patri R. M. de la Broise in cujus locum successi in ea quam nunc detineo cathedra. Quod et opus est egregium et totum ad rem quae hic tractatur pertinet et multa feliciter, de religionis notione et historia religionum, tangit quae nos non ita presse secuti eramus. Altera, quae nostra est, exhibet quomodo quaestio vel religiosa vel apologetica nec vitari omnino possit, et concrete pro variis personarum et rerum adjunctis solvatur. In tertia afferuntur documenta quaedam de quibus fit mentio in decursu

operis, quae etsi nota sunt, non tamen sunt omnibus ad manum. Porro ea cum sint ab incredulis, non afferuntur nisi ut documenta vel testimonia quorum vis et auctoritas non alia est quam ea quae inest rebus allatis.

Haec habui quae praefarer. Superest ut et opellam meam legentium benevolentiae commendem, et Deum, per virgineam ejus Matrem, cui et me et mea omnia dedico, orem ut et ei qui scripsit, et iis qui scripto sunt usuri, copiosam largitatis suae beneficia impertiat, fidem maxime et caritatem cum fide.

Parisiis, die festo sanctae Agnetis, 1914.

DE VERA RELIGIONE

ET APOLOGETICA

Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent... Nunc autem excusationem non habent. *Joan.* 15, 22-24.

Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem... Qui autem facit veritatem, venit ad lucem. *Joan.* 3, 19-20.

Dominum... Christum, sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe. I Petri, 3, 15.

Qui credit... non crederet nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi. 2. 2, q. 1, a. 4, ad 2.

Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque in primis miracula et prophetias, quae... divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Vatic. Const. *Dei Filius*, c. 3.

Domine, si error est, te ipso decepti sumus. Ricardus a S. Victore, *De Trinit.* 1, 2; M. 196, 891.

Il n'y a que deux sortes de personnes qu'on puisse appeler raisonnables : ou ceux qui servent Dieu de tout leur cœur, parce qu'ils le connaissent; ou ceux qui le cherchent de tout leur cœur, parce qu'ils ne le connaissent pas. Pascal, *Pensées*, art. 9, 1.

PRAEAMBULA

1. **Argumentum.** — Tractabimus de vera religione, hoc est, scientifice ac methodice vindicabimus « firmissimo, ut habet Vaticanum, niti fundamento fidem quam *profitemur* ».

Interest enim inter cognitionem vulgarem et practicam, qua norunt omnes catholici prudenter se credere, et elaborationem scientificam vel motivorum credibilitatis vel processus apologetici.

Instituemus ergo quasi crisim fidei nostrae, non dubitativam eam quidem (quae nec philosophica est, nec licita[1], sed confirmativam; et simul comparabimus media satisfaciendi « omni poscenti *nos* rationem de ea quae in *nobis* est spe », atque adjuvandi eos qui de vera religione vel inquirunt vel dubitant.

Non quod assensum vel nostrum vel aliorum cogere possimus. Sed ejusmodi rationes afferemus quae et objective valeant, et mentem rite dispositam, si bene perspiciantur, ad assensum *credibilitatis* inducant[1].

Neque haec inquisitio nobis manifestabit ipsa fidei mysteria, sed tantum in communi vera esse extrinsecus demonstrabit, utpote a Deo dicta, motiva scilicet credibilitatis suppeditabit. Quo faciunt verba sancti Thomae : « Ea quae subsunt fidei dupliciter considerari possunt : uno modo in speciali, et sic non possunt esse simul visa et credita... ; alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab eo qui credit. Non enim crederet nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi. » 2. 2, q. 1, a. 4, ad 2.

Haec autem demonstratio religionis nostrae importat et christianam religionem inter ceteras religiones, et catholicam Ecclesiam inter christianas sectas esse unice veram. Quae duplici parte constat, ut ex rei natura perspicuum est, constructiva altera, defensiva altera, ut « una manu sua *faciat* opus, altera *teneat* gladium ». Nobis multo potior est pars constructiva.

2. **Locus tractatus hujus in theologia.** — Ab hoc tractatu pendet tota theologia vel ut a fundamento, vel certe ut a condicione[2]; hinc enim habet theologia ut non sit merum

1. Non dicimus ad assensum fidei, qui et alterius est rationis, nec fructus est investigationis aut convictionis humanae. Utrum vero is credibilitatis assensus aliquo modo a gratia dependeat an sine gratia esse possit, non est hujus loci inquirere; nobis sufficit ostendere esse rationi consentaneum.

2. Utrumque hic indicatur, ut modo praescindamus a controversia quae statim tangetur, utrum sit haec pars proprie dicta theologiae, an theologiae quasi vestibulum.

mentis figmentum, hinc versari in ordine reali perspicitur, hinc sua vis inest locis theologicis non mere systematica sed realis.

Est ergo hic tractatus pars quaedam theologiae generalis, et ea quidem fundamentalis.

Dicitur autem a multis propaedeutica vel praeambula ad theologiam potius quam pars theologiae proprie dicta, cum non videatur habere objectum formale ipsius theologiae (quod est ens divinum ut est ex revelatione cognoscibile). Quanquam etiam pars theologiae recte, ut videtur, dici potest, idque ex duplici capite :

1. Quia fert usus ut introductio ad aliquam disciplinam, quatenus hujus est disciplinae, ad eam referatur, sicut etiam fundamenta domus aut propylea pars domus dicuntur. Quod hic eo magis obtinet quod non aliunde habet theologia ut sit veri nominis scientia.

2. Quia hic tractatus, *ut fit a catholico,* pertinet et ipse ad objectum formale theologiae, cum habeamus a documentis theologicis quod fides catholica sit prudens, et nihil hic aliud fere agamus quam vindicamus et ordinamus ea quae passim invenimus dispersa in documentis fidei. Neque hoc circulum vitiosum habet, ut inspicienti patet, cum hic Ecclesiae auctoritas nobis ad indicandam viam quam sequamur praeluceat, non ad confirmanda ea quae afferentur argumenta appelletur.

3. **Rei momentum.** — Rem facile perspiciat qui cogitet quanta sit quaestio religiosa, quae tota huc refertur; quam necessarium, nostris potissimum temporibus, solida ponere fidei fundamenta; quantum exspectetur a nobis in ea re contra tot ac tantas vel impugnationes vel incredulitatis causas.

4. **De historia tractatus.** — Hanc historiam texere longum est, cujus elementa passim occurrunt in historia apologeticae. Hic satis est indicasse quomodo is sit per varias apologias praeparatus; quomodo inchoatus per varias quae hinc inde et a Patribus et a veteribus theologis disseminatae sunt sententias, quaestiones, opuscula; quomodo aliquem

locum paulatim sibi paraverit in tractatibus de fide; quomodo aliqui postea sint scripti de ea re libri; quomodo tandem res eo devenerit ut id argumentum pro distincta theologiae christianae parte haberetur; quomodo a contionatoribus sacris publice tractaretur; quomodo ad analysim criticam cognitionis religiosae adnecteretur, etc. Qua de re libri aliqui inferius indicabuntur. Interim vide Le Bachelet, art. *Apologétique*, 1re partie, in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès, t. I, col. 190-225.

5. **Ratio tractandi.** — Nostrae intentionis est non modo thetice aut polemice rem tractare, sed etiam critice et historice.

Et primo quidem *thetice*, ut patet, multo magis quam polemice, sed etiam *critice :* non solum demonstrando, sed etiam de demonstrandi ratione ac de meliore methodo inquirendo, idque duabus potissimum de causis : 1. Quia utile est theoriam nostrae cognitionis religiosae instituere. 2. Quia multum inter catholicos his annis de his rebus est disputatum, quaedam etiam Ecclesiae decreta intervenerunt.

Historicam denique rerum considerationem non negligemus, quatenus scilicet hoc juvare nostram intentionem potest, vel judicio critico facem praeferendo, vel ex eo quod est factum ostendendo quid fieri possit, vel argumenta et exempla praebendo. Non potest autem esse nostrae intentionis historiam apologeticae (quae dicitur) ratione sui enarrare.

6. **Limitatio et divisio tractatus.** — Quaestio quam tractamus, de vera religione, multa involvit ex dictis : methodica vel historica de demonstratione, ipsam demonstrationem; demonstratio vel religionem in genere, vel religionem christianam, vel religionem catholicam potest spectare. Quae spectant religionem in genere eatenus attendemus quatenus erit necessarium ad finem nostrum; quae spectant religionem catholicam in communi tantum tractabimus, cetera in tractatum specialem de Ecclesia rejiciemus. Cum autem haec tractatio non possit praescindere a temporibus et dispositionibus eorum quibuscum nobis erit agendum, oportet addamus

aliquid de nostri saeculi tendentiis, quae dicuntur. philosophicis ac religiosis. Quae omnia sic videmur posse ordinare :

Pars prior. De apologetica. 1. De tendentiis nostri saeculi philosophicis ac religiosis. 2. De apologeticae ratione et methodo. 3. De formis apologeticae concretis.

Pars altera. De vera religione. 1. De religione ac revelatione. 2. De religione christiana. 3. De religione catholica.

Quibus bene accederet pars tertia : Confirmatio veritatis catholicae ex historia et comparatione religionum. Sed hanc partem relinquimus libris specialibus, quales sunt : *Christus*, 1912, et *Où en est l'Histoire des religions*.? 1911; vel quale est opus egregium, etiam nunc utile : Abbé de Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*[2], 1886.

7. **Bibliographica**[1]. — Ex Patribus utiliter legi possunt ad rem nostram : *Epistola ad Diognetum*, Justini Apologia prima, Tertulliani *Apologeticus* et *De testimonio animae*, Minucii Felicis *Octavius*, Origenis libri *Contra Celsum*, S. Athanasii *Contra Gentes*, Arnobii *Adversus gentes*, S. Joannis Chrysostomi (si tamen ejus est opusculum *Quod Christus sit Deus*, S. Augustini *De utilitate credendi*, *De fide rerum quae non videntur*, *Epistolae ad Volusianum* et *ad Marcellinum*, *De vera religione*, *De moribus Ecclesiae et de moribus Manichaeorum*, *De civitate Dei;* quibus addi potest Hermanni opusculum *De sua conversione* (Migne, t. 170). Scholastici passim, ubi de fide. S. Thomas nullum opus ejusmodi habet, nam libri *Contra gentes* non huc nisi indirecte referuntur, sed multa passim, et quidem in iis ipsis libris *Contra gentes*[2].

Tractatus speciales multi sunt multorum, sive quis totam theologiam attigit, ut Wirceburgenses, Perrone, Hurter.

1. Sentio ipse quam tumultuarie congesta haec sint. Sed conanti ea in ordinem redigere aut etiam in iis palcam a frumento segregare tot occurrerunt difficultates ut nihil fere aliud superesset nisi vel omnia omittere vel ea tradere prout hic jacent. Porro hoc alterum plus utilitatis habere visum est cum minore incommodo.

2. Cf. L. de Grandmaison, *Sur l'Apologétique de saint Thomas*, Extrait de la *Nouvelle Revue théologique*, février et mars 1907, p. 65-74 et 121-130.

Pesch, Mendive, Tepe, Van Noort, Muncunill, Tanquerey, etc., sive specialem de ea re librum edidit, ut Brugère, *De vera religione,* 1873, 1878; Lahousse, Lovanii, 1897; Ottiger, *Theologia fundamentalis,* t. I, Friburgi Brisgoviae, 1897; Wilmers, *De religione revelata,* Ratisbonae, 1897; Zigliara, *Propaedeutica ad sacram theologiam,* Romae, 1884, reeditum. De Groot, *Summa apologetica de Ecclesia catholica*[3], Ratisbonae, 1904. Ut omittam cursus autographos, qui multi circumferuntur.

Gallice multa sunt utilia apud Pascal; item apud Bossuet, v. g. in : *Discours sur l'histoire universelle,* 2e partie, c. 19 sq.; Panégyriques de saint André, de saint Paul; Oraison funèbre de la Princesse Palatine; Sermons, passim; — item apud Fénelon, maxime *Lettres sur la religion.* Digna sunt, etiam nunc, memoria quae de vera religione scripserunt : Bergier, La Luzerne, Duvoisin.

Ad nostra tempora propius accedunt quae passim inveniuntur apud Chateaubriand, J. de Maistre, Lamennais, Bonald, Ozanam[1]. Inter contionatores apologeticos, qui multi nostro saeculo floruerunt, maxime ad rem nostram faciunt : Frayssinous, Lacordaire, Félix (maxime 1864), Monsabré et in « Conférences de Saint-Thomas d'Aquin » (*Introduction au dogme catholique,* 1868-1869) et in « Conférences de Notre-Dame » (*Exposition du dogme catholique,* 1873-1890); — quos digne secuti sunt d'Hulst, Janvier. — Eodem referuntur Besson, Frémont (*Conférences, Les principes,* 1902), Vieillard-Lacharme, Maumus (*Défense de la foi,* 1907), alii. — Freppel in suis lectionibus Sorbonicis multa habet apologetica, quae in ordinem digessit Emm. Barbier, sub titulo *Les origines du christianisme,* 1903; multa etiam, in alio quidem genere, DD. Pie, maxime in suis synodalibus contra nostrorum temporum errores.

Laici quidam de eodem argumento scripserunt ex professo, qui etsi non omnia semper recte ad normam theologicam, multa tamen passim afferunt utilia ad apologeticam :

1. De quo cf. A. Baudrillart, *L'apologétique d'Ozanam* in *Revue pratique d'apologétique,* 1913, t. XV, p. 241-251; t. XVI, p. 5-32 et in *Ozanam, Livre du centenaire,* 1913.

Ch. Lenormant, *La divinité du christianisme,* 1849; — Auguste Nicolas, *Etudes philosophiques sur le christianisme,* 1842; *L'art de croire,* 1866; quorum utrumque saepe est reeditum; — Comte de Champagny, *Le chemin de la vérité*[2], 1874; — Ollé-Laprune alia via eodem tendit: *La certitude morale,* 1880; *Les sources de la paix intellectuelle,* 1892; — *Le prix de la vie,* 1894; *La philosophie et le temps présent,* 1890; *Ce qu'on va chercher à Rome,* 1895. Quo etiam referuntur ejus opuscula de *Vacherot,* de *Jouffroy.* — Apologetica quoque est thesis M. Blondel, *L'action,* 1893; item quod idem scripsit de *Léon Ollé-Laprune,* 1899. — — Apologetice Fonsegrive, *Le catholicisme et la vie de l'esprit,* 1899; — Multa item apologetica Brunetière. De quo cf. J. Cartier, *L'apologétique de Brunetière,* in *Revue pratique d'Apologétique,* 1907, t. III, p. 705-718; t. IV, p. 20-35, 75-86, 147-166; quae fere habes collecta in : *Discours de combat; Sur les chemins de la croyance,* 1905; *Questions actuelles,* 1907. — Ex Bossueto totus fere pendet H. de Lacombe. *Sur la divinité de Jésus-Christ,* 1907. — More laicorum fere procedit Bougaud, *Le christianisme et les temps présents,* 1872-1884, 8ª editio 1901. — Magis theologice Didiot, *Logique surnaturelle objective,* 1892.

Apologetica scientifica quae dicitur minus ad nos pertinet, cum sit defensiva magis quam constructiva. In ea eminuit Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne*[3], Toulouse, 1903.

His triginta fere annis inceperunt prodire tractatus apologetici in gratiam alumnorum, qui multi nunc circumferuntur : Cauly, *Apologétique chrétienne,* 1885; Devivier, *Cours d'apologétique chrétienne,* 1884, saepe reeditum; Mgr Rutten, *Cours élémentaire d'apologétique chrétienne,* Bruxelles, 1898; Valvekens, *Foi et raison, Cours d'apologétique*[3], Bruxelles, 1907; Moulard et Vincent, *Apologétique chrétienne,* 1906, saepe reeditum.

In gratiam cultiorum, G. de Pascal, *Le christianisme, Exposé apologétique.* I. *La vérité de la religion,* 1903; — E. Hugueny, *Critique et catholique.* I. *Apologétique,* 1910. — E. Roupain, *Leçons et lectures d'apologétique,* 1912.

Magis elementaria sunt : J. L. de la Paquerie, *Eléments d'apologétique,* 1908-1909 ; — D. Servant, *Connaissance de la vraie religion,* 1904, etc.

Sub formis ad captandos legentium animos varie elaboratis : Card. Dechamps, *Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation,* 1858 ; — Lodiel, *Nos raisons de croire,* 1898 ; — Gondal, *La religion,* 1894, 1904 ; *Le surnaturel,* 1895 ; *Mystère et révélation,* 1905, etc.

Breviter, sed nervose, R. de la Broise in *Un siècle,* 3e partie, c. 1, 1900[1]. — Nos quoque de ea re in *Nature et surnaturel*[4], 1911, c. 10.

Abbé de Broglie haud scio an primum sibi locum in apologetica apud nos vindicet multis suis scriptis aut lectionibus, ex quibus magis directe ad nostrum argumentum accedunt : *La réaction contre le positivisme,* 1894 ; *Le présent et l'avenir du catholicisme en France,* 1892 ; *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions,* 1885, saepe reeditum : *Les fondements intellectuels de la foi chrétienne,* editum ex stenographia a P. A. Largent, 1905 ; item. *Les conditions modernes de l'accord entre la foi et la raison* (in collectione *Science et religion* ; sub titulo *Religion et critique,* 1896, collegit Cl. Piat, cum praefatione de ejus apologetica, quae ab eo jam edita jacebant undique dispersa, et ea quidem egregia.

Magis ad expositionem dogmaticam quam ad apologeticam proprie dictam pertinent : Girodon, *Exposé de la doctrine catholique*[3], 1885 ; Lesêtre, *La foi catholique,* 1909 ; Morineau, *Exposé succinct du dogme catholique,* 1912.

De theoria apologeticae in genere, hoc est, de ejus munere, methodo et ratione, praeter ea quae inveniuntur in iis quae jam allata sunt : Gardeil, *La crédibilité et l'apologétique,* 1908 : — de quo cf. quae scripsimus in *Revue pratique d'apologétique,* 1908, cum ejusdem responsione. Prostat nunc nova editio, emendata et aucta, 1912. Cf. ejusdem articulum *Crédibilité,* in *Dictionnaire de théologie catholique.* De eadem re scripsit G. Cloud, *L'Apologétique chrétienne. Nature. Nécessité.*

1. Quod hic in *Appendice* visum est dare.

Méthode, 1903. Multa huc referuntur quae commodius indicabuntur ubi de methodis apologeticis. Hic tamen videntur quaedam esse indicanda quae a recentibus controversiis aut fere abstrahunt, aut magis sunt conclusiva quam polemica : Mgr Mignot, *Lettre sur l'apologétique*, reedita in *Lettres sur les études ecclésiastiques*, 1908; — Mgr Douais, *Lettre sur l'Apologétique*, Beauvais, 1909; — Hogan, *Clerical studies*, Boston, 1898; gallice, *Les études du clergé,* 1901. — H. Ligeard, *Vers le catho- licisme. Programme de conférences apologétiques.* Nouvelle édition entièrement refondue, 1908. — Bainvel, *Le problème apologétique*, in *Revue de l'Institut catholique* et in *Revue apologétique,* 1905, quod hic rursus dabitur in *Appendice.*

E protestantibus, afferri possunt : Gretillat, *Théologie systématique*, t. 2; G. Frommel, *La vérité humaine. Un cours d'apologétique*, t. 1, Saint-Blaise, 1910. Introduction.

Germanice scripserunt : Hettinger. *Lehrbuch der Fundamentaltheologie*[2], Freiburg im Br., 1884 (pars prior gallice translata est, 1888); *Apologie des Christentums*[9], Freiburg im Br., 1906 (gallice, 1870); — *Timotheus* (maxime de methodis, et est quasi introductio ad studia sacra). — Vosen, *Das Christentum und die Einsprüche seiner Gegner*, 5ª editio per S. Weber, Freiburg im Br., 1905; — *Der Katholizismus und die Einsprüche seiner Gegner*, 3ª editio per Brüll, Freiburg im Br., 1885; — Weiss, *Apologie des Christentums,* 3ª et 4ª editio, Freiburg im Br., 1895-1905 (gallice, 1894 sq.); — Stœckl, *Lehrbuch der Apologetik*, Mainz, 1895; — Gutberlet, *Lehrbuch der Apologetik*[3], Münster, 1904 sqq.; — L. von Hammerstein, *Begründung des Glaubens*, Trier, 1894-1901; — S. Weber, *Christliche Apologetik. In Grundzügen für Studierende.* Freiburg im Br., 1907[1]; — *Religion, Christentum, Kirche.* Eine Apologetik für wissenschaftlich Gebildete, unter Mitarbeit von St. von Dunin-Borkowski, Joh. P. Kirsch, N. Peters, J. Polhe, W. Schmidt und F. Tillmann, herausgegeben von Gerhard Esser und Joseph Mausbach. Kempten und München, 1911, 3 in-8[1].

1. Omittimus Schell, cujus opus *Die göttliche Wahrheit des Christen-*

Anglorum nominandus est maxime Newman, cum alibi, tum in *Grammar of Assent*, quod maxime, etsi via non trita, ad nostrum argumentum accedit.

Ex Hispanis, praeter Donoso Cortes, qui minus ad rem nostram, floruit Balmes, cujus opera quaedam apologetica in multas linguas sunt translata; de quo cf. quae scripta sunt in *Actas del Congreso internacional de apologética*. Vich, 1911; item Mendive, *La religion catolica vendicada de las imposturas racionalistas*[4], Madrid, 1888.

Quae ad historiam apologeticae pertinent suo loco indicabuntur; item quae puncta singularia attingunt.

8. **Repertoria**. — Multa collegit Migne in *Démonstrations évangéliques;* apud quem etiam non pauca invenies vel bibliographica vel ad historiam apologeticae utilia, ut Chassay, *Tableau des apologistes chrétiens depuis la Renaissance jusqu'à la Restauration*, t. 18, col. 881 sq. — Non pauca item Genoude, *La raison du christianisme*[2], 1835. — Periodica non pauca vel quaestiones apologeticas tractant, vel de libris agunt apologeticis. Sic gallice *Revue pratique d'apologétique*, Paris; *Revue apologétique*, Bruxelles; *La tribune apologétique*, Louvain; *Ami du clergé*, Langres; *Revue du clergé, Etudes*, Paris; *Revue des Sciences philosophiques et théologiques*, Kain — ut multa alia omittam aliquarum societatum organa, qualia sunt quae per magistros Facultatum catholicarum eduntur, vel per aliquas sodalitates aut collegia, ut *Polybiblion*, etc. Quorum quibusdam adnexi sunt Indices quaerenti perutiles.

Multa etiam dant bibliographica in libris jam indicatis : Tanquerey[13] (1909-1910), Ligeard, Hugueny, Weber, Ottiger; multa L. de Grandmaison, in notis privatis ad Tractatum de Vera Religione; multa item Dictionaria, ut *Dictionnaire de théologie catholique*, articulo *Apologétique*, item *Dictionnaire apologétique;* multa Kihn, in *Encyklopaedie und Methodologie der Theologie*, Freiburg im Breisgau, 1892.

tums, Paderborn, 1895-1896, est in Indicem relatum; alterum quod ad rem nostrum esset, *Apologie des Christentums*, Paderborn, 1901 et 1905, vel non clarum est vel non tutum.

Bibliographica maxime sunt *Theologische Revue*, *Theologische Literaturzeitung*, *Theologischer Jahresbericht;* quorum ultimum singulis annis quidquid in unaquaque Theologiae parte, ac proinde in Apologetica, est editum, aut indicat aut recenset; quales etiam recensiones edit aliquando Societas bibliographica, ut est *Rapport sur l'apologétique*. datum ab A. de la Barre in *Congrès bibliographique international*, 13 avril 1898, et est insertum in *Compte rendu des travaux*, t. I, p. 20-57. Paris, 1900. Item totus bibliographicus est Hurter, *Nomenclator litterarius*, in quo sectio est sua Apologeticae.

Quae ad rem nostram in Germania, Austria. Helvetia, ab anno 1700 ad annum 1900 edita sunt, diligenter indicat Dietrich Gla, *Systematisch geordnetes Repertorium der Katholisch-theologischen Litteratur*, erster Band, 2 Abteilung : *Litteratur der Apologetik und der Kirche*, Paderborn, 1904. In quo quae magis ad disciplinam apologeticam pertinent paragraphis maxime 1-7, p. 1-94; § 25-32, p. 235-274; § 60-61, p. 485-512, continentur.

Ad *realia* repertoria referri possunt, praeter Dictionaria vel collectiones (ut Migne, Genoude), quaedam quae historiam apologeticae aut methodum apologeticam, qualis decursu temporum in usu fuit, spectant, ut K. Werner, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie,* Schaffhausen, 1861-1867, 5 voluminibus: J. Martin, *L'apologétique traditionnelle*, 3 vol.

9. **Documenta ecclesiastica**. — Huc referuntur non pauca quae ultimis saeculis data sunt de rationabilitate fidei aut de munere rationis, vel in fide vel ante fidem. Hic ea sufficit indicare quae magis directe tangunt argumentum nostrum. Quorum praecipua collegit H. Denzinger, *Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum,* cujus editionem decimam et undecimam procuravit Cl. Bannwart, ad quam referuntur numeri, datis tamen intra cancellos numeris priorum editionum. Sequimur vero ordinem chronologicum, cum ordo systematicus praesto sit in *Enchiridii* indice systematico, sub nomine *Revelatio.*

a. Ex erroribus damnatis sub Innocentio XI, Decreto S. Officii, 2 martii 1679; 20 : « Potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem. » 1170 (1037); 21 : « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine qua quis formidet ne non sit locutus Deus. » 1171 (1038).

b. Ex thesibus quae Ludovico Bautain ad subscribendum propositae sunt sub Gregorio XVI, 8 sept. 1840 : « 2. La divinité de la révélation mosaïque se prouve avec certitude par la tradition orale et écrite de la synagogue et du christianisme. — 3. La preuve tirée des miracles de Jésus-Christ, sensible et frappante pour les témoins oculaires, n'a point perdu sa force et son éclat vis-à-vis des générations subséquentes. Nous trouvons cette preuve en toute certitude dans l'authenticité du Nouveau Testament, dans la tradition orale et écrite de tous les chrétiens. C'est par cette double tradition que nous devons la démontrer à ceux qui la rejettent, ou qui, sans l'admettre encore, la désirent. — 4. On n'a pas le droit d'attendre d'un incrédule qu'il admette la résurrection de notre divin Sauveur avant de lui en avoir administré des preuves certaines ; et ces preuves sont déduites de la même tradition par le raisonnement. — 5. Sur ces questions diverses, la raison précède la foi et doit nous y conduire. — 6. Quelque faible et obscure que soit devenue la raison par le péché originel, il lui reste assez de clarté et de force pour nous guider avec certitude à l'existence de Dieu, à la révélation faite aux Juifs par Moïse et aux chrétiens par notre adorable Homme-Dieu. » Textum latinum habet *Enchiridion*, 1623-1627 1489-1493, sed hic paulo aliter quaedam, ob confusionem inter Romanam hanc subscriptionem et priorem Argentoratensem, 18 nov. 1835 ; item textum gallicum in nota. Cf. *Dictionnaire de théologie catholique,* art. *Bautain.*

c. Ex thesibus eidem ad subscribendum propositis a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, 26 aprilis 1844 : « Je promets de ne jamais enseigner... 4. Que la raison ne puisse acquérir une vraie et pleine certitude des motifs de crédibilité, c'est-à-dire de ces motifs qui rendent la révélation di-

vinc évidemment croyable, tels que sont spécialement les miracles et les prophéties, et particulièrement la résurrection de Jésus-Christ. » *Enchiridion,* post n. 1627, in nota, p. 434 (deest in prioribus editionibus).

d. Ex Pii IX Encyclica *Qui pluribus*, 9 nov. 1846 : « Noscitis... (hos) infensissimos christani nominis hostes... eo opinandi temeritate progredi, ut... palam publiceque edocere non erubescant commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria... Quasi philosophia... ea respuere debeat quae... Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus... Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum... recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat... Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac eidem... rationabile obsequium exhibeat. Quis enim ignorat vel ignorare potest omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque magis rationi ipsi consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

« Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet divinam esse Christi religionem et « omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse [1] », ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis in-

1. Chrysost., *Interpretatio in Isaiam prophetam*, c. 1 (Migne, 56, 14).

dex, vitiorum omnium expultrix ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens, ac caelestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo Christi jugo subjecit, *annuntians* omnibus *pacem, annuntians bona*. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem exsistere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit. » *Enchiridion*, 1634-1639 (1496-1500).

c. Ex decretis concilii Vaticani (1870), Constitut. *Dei Filius*, c. 2 : « Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet Deum rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse... Attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati alia eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare...

« Huic divinae revelationi tribuendum quidem est ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria di-

cenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina quae humanae mentis intelligentiam omnino superant... »

C. 3 : « Cum homo a Deo tanquam creatore et domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur (cf. can. 1). Hanc vero fidem quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei adspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

« Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt : et de Apostolis legimus : *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (Mc. 16, 20).

« Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inhexaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit ut ipsa veluti *signum levatum in nationes*

(Is. 11, 12) et ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possent; et eos quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur. Quocirca minime par est condicio eorum, qui per caeleste donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem. »

Canones ad caput 2, *De revelatione :* « 1. Si quis dixerit Deum unum et verum creatorem et dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit.

« 2. Si quis dixerit fieri non posse aut non expedire ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur, anathema sit.

« 3. Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit. »

Ad caput 3, *De fide :* « 1. Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, anathema sit.

« 2. Si quis dixerit fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, anathema sit.

« 3. Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna experientia aut

inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit.

« 4. Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, anathema sit.

« 5. Si quis dixerit assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci, aut ad solam *fidem* vivam, *quae per caritatem operatur* (Galat. 5, 6) gratiam Dei necessariam esse, anathema sit.

« 6. Si quis dixerit parem esse condicionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, anathema sit. » *Enchiridion*, 1785-1794, 1806-1815 (1634-1642; 1653-1662).

f. Ex Decreto *Lamentabili* (3 julii 1907) : « 20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

« 22. Dogmata, quae Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e coelo delapsae sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

« 25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

« 27. Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia Christiana e notione Messiae deduxit.

« 28. Jesus Christus, cum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque ejus miracula eo spectabant ut id demonstraret.

« 36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

« 37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis quam de vita Christi immortali apud Deum. »

g. Encyclica *Pascendi*, 8 sept. 1907, tota fere huc referri, aliquo sensu, potest. Ad rem nostram ea sunt maxime quae modernistarum placita agnostica de naturali theologia, de motivis credibilitatis, de externa revelatione spectant; item quae immanentiae religiosae principium et hujus principii consectaria de reductione revelationis ad evolutionem sensus religiosi ex subconscientia; item quae Christum et ejus historiae defigurationem; ex quibus efficitur « ut... sanctissima religio nostra in homine Christo, aeque ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur »; item quae sunt de vi ac ratione experientiae religiosae. Sed ea sunt hic exscribenda quae de apologetica modernistarum dicuntur.

« Ad apologetam transeamus. Hic apud modernistas dupliciter a philosopho (*qui et agnosticus est et sola immanentia agnoscit*) et ipse pendet. *Non directe* primum, materiam sibi sumens historiam, philosopho, ut vidimus, praecipiente conscriptam; *directe* dein, mutuatus ab illo dogmata ac judicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum praeceptum debere novam apologesim controversias dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quamobrem apologetae modernistae suum opus aggrediuntur rationalistas monendo se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis quae veteri methodo descriptae sint: sed ex historia *reali* modernis praeceptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi *ad hominem* argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur... Sed jam quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat videamus. Finis quem sibi assequendum statuit hic est, hominem fidei adhuc expertem eo adducere ut de catholica religione *experientiam* assequatur, quae ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet iter: *objectivum* alterum, alterum *subjectivum*. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat ut eam in religione, praesertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret quae psychologum

quemque itemque historicum bonae mentis suadeat oportere in illius historia *incogniti* aliquid celari. Ad hoc ostendere necessum est catholicam religionem, quae modo est, eam omnino esse quam Christus fundavit, seu non aliud praeter progredientem ejus germinis explicationem, quod Christus invexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Idipsum porro hac formula exhiberi volunt : Christum adventum regni Dei nunciasse, quod brevi foret constituendum, ejusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post haec demonstrandum, qua ratione id germen, semper *immanens* in catholica religione ac *permanens,* sensim ac secundum historiam sese evolverit aptaritque succedentibus adjunctis, ex iis ad se *vitaliter* trahens quidquid doctrinalium, cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile; interea vero impedimenta si quae occurrerent superans, adversarios profligans, insectationibus quibusvis pugnisque superstes. Postquam autem haec omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas, itemque vitam foecunditatemque Ecclesiae id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in ejusdem Ecclesiae historia incolumes appareant, non tamen eidem historiae plene explicandae sint pares; *incognitum* coram stabit, suaque sponte se offeret. — Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice *aprioris-mo* philosophi agnostici et evolutionistae, et germen ipsum sic gratis ab eis definiri ut eorum causae congruat.

« Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant, subdant tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, juste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in

vulgus propagarentur; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt : jam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* [1], hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere; verbisque Augustini asserimus : *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur* [2]. Unde fiet quod idem sanctus Doctor adjungit : *In eis,* scilicet Scripturis, *quod vult quisque credet, quod non vult non credet.* — Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur; cujusmodi sunt quae in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse : neque id mirum, inquiunt, videri debet; nam et ipse vitae legibus tenebatur! — Quid post haec de Ecclesiae dogmatibus? Scatent haec etiam apertis oppositionibus : sed, praeterquam quod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicae non adversantur; in iis quippe de infinito agitur, cujus infiniti sunt respectus. Demum, adeo haec omnia

1. Conc. Vat., *De Rev.*, c. 2.
2. Epist. 28.

probant tuenturque, ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradicentia de ipso affirmando! — Probata vero contradictione, quid non probabitur?

« Attamen qui nondum credat, non *objectivis* solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam *subjectivis*. Ad quem finem modernistae apologetae ad *immanentiae* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque in intimis ejus naturae ac vitae recessibus, celari cujuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cujuscumque sed talis omnino qualis catholica est; hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitae perfecta. — Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam rejiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici, opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. — Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur qui volunt moderatiores audiri. Nam qui integralistae appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens demonstrari volunt quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est. — Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, summatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus : methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedificandum aptas, sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cujuscumque omnimodam eversionem. » — *Enchiridion,* 2101-2103. Hinc concluditur : « Jam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus ut omnium haereseon collectum esse affirmemus... Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt ut non modo catholicam, sed omnem penitus, quod jam innuimus, religionem deleverint. » *Enchiridion,* 2105.

h. Ut professio fidei Tridentinae a Pio IV est praescripta,

sic fere a Pio X professio fidei Vaticanae et admissio Encyclicae *Pascendi,* in *Motu proprio* « Sacrorum antistitum », 1 sept. 1910. E quo ad rem nostram haec sunt : « Firmiter amplector ac recipio... praesertim ea doctrinae capita quae hujus temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tanquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est, facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tanquam signa certissima divinitus ortae christianae religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam hujus temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. . Quinto, certissime teneo ac sincere profiteor fidem non esse caecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus propter Dei auctoritatem summe veracis. » *Enchiridion,* 2145.

PARS PRIOR

DE APOLOGETICA

CAPUT I (PRAEVIUM)

DE PRAECIPUIS TENDENTIIS PHILOSOPHICIS ET RELIGIOSIS NOSTRORUM TEMPORUM

10. **Ratio hujus capitis**. — Apologetica cum non possit praescindere omnino ab hominum et doctrinarum varietate, in quibus versatur — motiva enim quaedam credibilitatis alia sunt magis aliorum temporum et personarum, et ea etiam quae semper et ubique valent aliter tamen aliis ut valeant proponenda sunt — oportet aliquatenus rationem habeamus de motibus mentium et tendentiis doctrinalibus nostrae aetatis, quae ipsa separari ab aetate proxime praecedenti non potest. Debemus ergo primum brevissime indicare aut in memoriam revocare — plus enim non possumus — praecipuas tendentias philosophicas aut religiosas saeculi proxime elapsi; deinde praesentem mentium et doctrinarum statum, item brevissime, describere. Qua in re nihil aliud hic exspectandum est, ut patet, nisi conspectus rerum valde generalis, et quaedam quasi indicationes viarum, dimissis etiam eis quae vel historiam apologeticae vel methodos apologeticas spectant.

11. **Adjumenta bibliographica**[1]. — Ex innumeris scriptis quae huc faciunt, ea indicamus quae nobis nunc occurrunt, ut quae vel nobis jam fuerint utilia vel omnibus esse possint.

1. Liceat hic legentem remittere ad ea quae initio § 7 dicta sunt in nota.

Pro repertorio bibliographico simul et doctrinali sunt notae privatae L. de Grandmaison, *Ad theses tractatus de vera religione,* 1904; idem hoc anno (1913) in Instituto catholico Parisiensi lectiones de motu cogitationis acatholicae saeculo XIX habuit, quarum summarium dat *Bulletin de l'Institut catholique,* 1913. Eodem accedunt :

J. Didiot, *La philosophie,* in *Un siècle. Mouvement du monde de 1800 à 1900,* XV, p. 370-408, editionis minoris; — R. de la Broise, *La religion et les religions,* ibid., XXV, p. 663-693[1]. In eodem opere multa alia possunt esse utilia.

Historiae philosophiae et scripta vel de singulis philosophis, vel de aliquo systemate aut motu sive philosophico sive religioso :

Félix Ravaisson. *La philosophie en France au XIX^e siècle,* 1867 (4^a editio, 1895, eadem plane est); — Ueberweg-Heinze, *Grundriss der Geschichte der Philosophie.* Dritter Theil, *Die Neuzeit.* Zweiter Band. *Nachkantische Systeme und Philosophie der Gegenwart*[8], Berlin, 1897 (bibliographica multa : — Brin, *Histoire de la Philosophie contemporaine,* 1888; — Mercier, *Les origines de la Psychologie contemporaine,* Louvain, 1897; — Taine, *Les philosophes français,* 1856 (7^a editio, 1896); — E. Faguet, *Politiques et moralistes du XIX^e siècle,* 3 vol. inde ab anno 1900; — G. Longhaye, *Le XIX^e siècle. Esquisses littéraires et morales,* 3 vol. inde ab anno 1900; — Baunard, *Le doute et ses victimes,* 1866. saepe reeditum; *La foi et ses victoires,* 7^a editio, 1902; — P. Bourget, *Essais de psychologie contemporaine,* inde ab anno 1882; E. Caro, *L'idée de Dieu et ses nouveaux critiques,* 1864; — Vacherot, *La religion,* 1868; — G. Michelet, *Dieu et l'Agnosticisme contemporain,* 1909; — M^gr d'Hulst, *Conférences de Notre-Dame,* maxime in notis: — Boutroux, *Science et Religion,* 1908; — L. Roure, *Doctrines et problèmes,* 1900; *Anarchie morale et crise sociale,* 1900.

De neo-christianismo qui dictus est : E. M. de Vogué, *Spectacles contemporains,* 1891; — Felix Klein. *Nouvelles tendances en religion et en littérature,* 1892; — *Autour du di-*

1. Hic in *Appendice.*

lettantisme, 1895; — J. Pacheu, *Du positivisme au mysticisme,* 1900; — Lévy-Bruhl, *Théories nouvelles de la croyance* in *Revue des Deux-Mondes,* 15 mai 1894.

De motu kantiano et modernistico (qui dicitur) in Gallia : A. Leclère, *Le mouvement catholique kantien en France à l'heure présente.* Extrait des *Kantstudien,* VII, 1902; — *La morale rationnelle dans ses relations avec la philosophie générale,* 1908; — *Pragmatisme, Modernisme, Protestantisme,* 1909; — Idem annuntiat dedisse se, ad proximam editionem Ueberweg-Heinze, *Die Religionsphilosophie in den Laendern von französischer Sprache, seit 1850.*

De motu cogitationis religiosae in Germania : F. Lichtenberger, *Histoire des idées religieuses en Allemagne depuis le XVIII^e siècle jusqu'à nos jours*[2], 1888. — O. Pfleiderer. *Geschichte der Religionsphilosophie von Spinoza bis auf die Gegenwart*[3], Berlin, 1893; — H. Hoeffding, *Geschichte der neueren Philosophie,* germanice translatum, 2 vol., Leipzig, 1895; — egregie inter catholicos, G. Goyau, *L'Allemagne religieuse. Le Protestantisme,* 1898; — H. Weinel, *Religioese Bestrebungen und Bewegungen in Deutschland,* anglice translatum sub titulo *Religious life and thought in Germany to-day,* in *Hibbert Journal,* July 1909, t. VII, n. 4, p. 721-745.

Articuli innumeri vel periodicorum vel dictionariorum et encyclopaediarum de iis vel hominibus vel rebus quae ad rem nostram pertinent. Sic articuli *Agnosticisme, Criticisme,* etc., in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès; sic articulus *Croyance* in *Dictionnaire de théologie catholique;* sic in utroque articuli *Dogme, Dieu,* etc.

M. Blondel, in suo libro *L'action,* 1893, omnia fere recentiorum systemata philosophiae religiosae exponit et dijudicat; sic aliquo modo etiam H. Bergson in IV capite sui libri *L'évolution créatrice*[6], 1910; — Wernle, etsi ejus opus aliud spectat, multa dat ad rem nostram utilia in *Einführung in das theologische Studium,* Leipzig, 1908.

Quae ad biblicam criticam spectant, dat A. Durand in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès, art. *Critique biblique.* Cf. Vigouroux, *Les livres saints et la critique rationaliste* (5^a editio, 1902).

12. **Conspectus rerum historicus.** — 1° *In Gallia.* Initio saeculi XIX vigebat influxus Voltaire et aliquantum Rousseau, qui influxus apud multos perseveravit usque ad annum circiter 1850. Qui totus fere erat in deismo christianae revelationi et Ecclesiae infenso, cujus historiam et instituta satis inepte in risum vertebat; philosophia in Lokianum vel Condillaceum sensismum vergebat, et a scotica quae dicitur philosophia pendebat, donec per Cousin, Jouffroy, eorumque sequaces (J. Simon, Saisset, Bouillier, Paul Janet, etc.) invaluit Cartesianismus aliquis eclecticus, animae spiritualitatem quasi angelicam et quae inde sequuntur vindicans per methodum maxime psychologicae introspectionis, et omnia per criterium evidentiae ad ideam perspicuam exigens. Haec diu fuit quasi *publica* philosophia sub nomine spiritualismi, ad quam a veneno pantheistico quod immiscuerat Cousin purgatam, multi etiam catholici, pro examinum fere necessitate, adhaerebant, quatenus principia rationis et religionis naturalis, non sine influxu, ut ita dicam, diffuso christianae religionis, propugnabat. Hujus autem philosophiae duces fere omnes ab Ecclesia erant alieni, et separatismum inter utrumque ordinem, naturalem et supernaturalem, ita profitebantur ut omnimodam rationis autonomiam, quin etiam sufficientiam ad omnia vindicarent, christianamque revelationem vel cum honore abigerent, vel sub nomine *mysticismi* traducerent et condemnarent.

Interea Augustus Comte systema scientiae positivae vel positivismi qui dicitur haud scio an sub aliquo kantistico influxu elaborabat, scientiam humanam ab omni vel theologico vel metaphysico elemento liberam, prout ex singulis scientiis per synthesim exsurgere debebat, construere tentabat, addito ad aedificii culmen cultu Humanitatis. Cujus opiniones et methodus late sparsae sunt, vel quales ipse eas excogitaverat, vel quales sunt aliter ab aliis adaptatae. Discipulorum vero ejus alii, ut Littré, ex agnosticismo metaphysico in negationem fere abierunt, ita ut nihil nisi experientiam sensibilem, quae mensurae et ponderi subjaceret, admitterent; alii naturam et ejus leges, ut Taine, vel formulas inde abstractas, quasi pro numine, sub influxu Hegelii, haberent; alii tandem, et ii quidem multi

vergente saeculo, ut Brunetière, Vogüé, Bourget, spiritu positivismi imbuti et positiva methodo usi, per eam venerunt ad altiora, ita ut suas partes etiam elementis idealibus, qualis est ordo moralis, aestheticus, religiosus, quippe quae ad res quae de facto sunt pertineant, tribuerent, et partim ad neochristianismum (qui dictus est), ut P. Desjardins, partim ad catholicam religionem, ut Brunetière, accederent (*Renaissance de l'idéalisme :* Brunetière; *Réaction contre le Positivisme :* abbé de Broglie, cf. Klein, *Nouvelles tendances; Utilisation du Positivisme :* Brunetière, etc.).

Hic Positivismi influxus, cui multum favit progressus scientiarum cum positiva fere methodo etiam ab iis qui non essent Positivistae (ut Pasteur, ut Lord Kelvin) conjunctus, omnem humani cultus campum ubique pervasit, mixtus cum aliis etiam influxibus, maxime cum kantiano vel Relativismo vel Positivismo, cum Pantheismo vel reali (ut est apud Vacherot), vel ideali (qualem propugnavit Hegel), cum Monismo multiplici et Agnosticismo evolutionistico (qualis est spencerianus). Sub eo influxu, et quasi ebrius libertatis, spei scientificae, hegeliani evolutionismi et naturalismi cujusdam pantheistici, scribebat Ernestus Renan, anno 1848, librum illum suum *L'avenir de la science,* quem non edidit nisi anno 1890, sed de eo quasi vixit diu ipse et ejus partes in publicum pro opportunitate dedit, donec fructu scientiae lassus potius quam saturatus in Dilettantismum eum abiit qui totus esset in considerandi et intelligendi voluptate, et, sub Optimismi cujusdam specie ac fuco, in Pessimismum vel Nihilismum eum dilaberetur qui et se et omnes et omnia contemneret atque derideret.

Ut ex materialistico Positivismo per reactionem exortum est studium rerum idealium quae dicuntur, ita partim ex levitate Dilettantismi, partim ex insufficientia idealismi (intellectualis scilicet, qui omnia reducit ad ideam), ortus est pragmatismus, et quidem sub multiplici forma (alius est enim Pragmatismus William James, alius Pragmatismus H. Bergson vel E. Le Roy, alius qui aliquando dicitur Pragmatismus M. Blondel, cui fortasse viam aliquo modo praeparaverat Neocriticismus Renouvier. Qui pragmatismus, ut est a W. James excultus, magis ad positivismum accedit, nisi quod

utilitatem phaenomeni religiosi admittit; ut a Le Roy, magis ad idealismum, nisi quod aliquam rebus realitatem, vel dependenter a mente, vel etiam aliquo modo independenter, tribuit; ut a Bergson, magis ad aristotelismum, nisi quod plus rerum intuitioni, minus notionibus abstractis inhaeret; utitur autem methodo positiva experimentali, etiam psychica, et quidem feliciter. Quod autem Bergson vim quamdam internam vel nisum quemdam immanentem in omnibus rebus agnoscit, unde sit ea quam creatricem evolutionem appellat, non satis apparet utrum haec vis ad actionem aliquam Dei transcendentis et a mundo distincti, an ad quamdam naturae quae dicitur proprietatem, qualem fere admittebant Renan, Taine, alii, sit reducenda[1].

Dum W. James religionem ad factum internum, e subliminari singulorum conscientia exsurgens, fere reducit, Durkheim et ejus discipuli eam totam reducunt ad factum quoddam sociologicum, idque non eo tantum sensu quod religio sit, vel debeat esse, aliquid sociale, sed ita ut omnis ejus origo et natura non aliter explicetur nisi ex conscientia conjunctionis cujusdam et interdependentiae inter singula societatis membra, qualem interdependentiam jam ante aliquot annos explicabat Izoulet in suo libro *La cité moderne et la métaphysique de la sociologie,* 1895. Cui systemati viam aliquo modo paraverat J. M. Guyau in suo libro *L'irréligion de l'avenir, Étude de sociologie,* qui primus fere audacter et methodice, quod multi conclamabant, explicare tentavit quomodo vi evolutionis scientificae vel religiosus sensus aliquando evanesceret. Quem multi et secuti sunt et nunc etiam sequuntur.

Porro interea alii e castris fere protestantium progressi et Schleiermacher vel Ritschl vestigiis ingressi, ejusmodi systema elaborabant quo tota religio ad sensum religiosum reducebatur vel ad religionem adogmaticam, in qua suus quidem

1. Bergson, in epistolis ad J. de Tonquédec datis profitetur admittere se existentiam causae liberae a qua dependeat mundus. Quod quomodo cum aliis ejus assertis concilietur non satis apparet. Vide J. de Tonquédec, in *Études*, 5 mars 1908 et 20 février 1912, qui articuli collecti sunt sub titulo *Dieu dans l'« Evolution créatrice »*, 1912. Epistolae autem eae prostant in opusculo, p. 34 sqq.; in *Études*, 20 février 1912, t. 130, p. 514-516.

esset locus fidei (*la croyance*), sed ea fides ab omni objecto ita esset sejuncta ut dogma vel nihil esset, vel non esset nisi realitatis cujusdam ignotae et innoscibilis symbolica expressio, in qua nihil esset absolutum, sed esset ea quidam ita tota relativa ut nihil aliud importaret nisi conatum mentis ad exprimendum intellectualiter sensum religiosum per comparationem ad singulorum temporum mundi repraesentationem (*Weltanschauung*) vel systémata scientifica aut philosophica de mundo. Quod systema maxime polivit Aug. Sabatier in suo libro *Esquisse d'une philosophie de la religion d'après la psychologie et l'histoire*, 1897. A quo non multum differt fideismus ille quem propugnat Menegoz, popugnant multi protestantes qui dicuntur liberales; qui cum de ipsa intima Christi natura vel agnosticismum profitentur, vel cum pro mero homine habent, in eo tamen fere conveniunt ut ab eo originem sensus nostri religiosi in Deum ut patrem repetant, et totam religionem in eo reponant non ut credamus in Christum, sed ut more Christi credamus.

Extra hos motus remanserunt fere catholici in Gallia usque ad modernismi qui dicitur tempora, quippe qui toti fuerint vel in pugna cum adversariis (cogita varias formas naturalismi, rationalismi, pantheismi, positivismi, criticismi), vel in controversiis de traditionalismo, de liberalismo, de gallicanismo (cogita Lamennais, Bautain, *Syllabum*, Concilium Vaticanum et quaestionem de Infallibilitate, item quaestionem liturgicam).

13. **Conspectus rerum historicus.** — 2° *In Germania, Anglia, ceteris regionibus.* Doctrinas kantianas cum enthousiasmo vel quasi-pietismo fratrum Moravorum ad quos aliquandiu pertinuerat, vel fortasse Pietistarum (quorum dux fuerat Spener) miscuit Schleiermacher, et primus post Kantium (immo quod Kantius inchoarat tantum vel per sua principia de distinctione inter rationem speculativam et rationem practicam, deque utriusque valore munere, limitibus, vel per applicationem ad religiosa in suo libro de religione intra limites purae rationis[1]), systema religiosum expolivit, in quo

1. *Die Religion in den Grenzen der reinen Vernunft*, 1793.

tota religio ad sensum religiosum reducebatur, ita ut et ab omni valore objectivo et a dogmate proprie dicto omnino libera esset ; immo is Deum non videtur admisisse nisi pantheisticum, nec sensum dependentiae a Deo (in quo reponitur sensus ille religiosus, quae tota religio est nisi sensum dependentiae nostrae ab universo ; Christum vero eatenus veneratur, quatenus is — quisquis ipse sit — formam et exemplar hujus pietatis erga Deum, de qua vivit quisquis religiosus est, primus exhibuit et in mundo excitavit. Porro ab illo principio religionis mere subjectivae pendet totum systema Protestantium liberalium ; quanquam alii aliter hoc systema expoliverunt, et dependentiam vel religionis vel communitatis religiosae a Christo vel a Scriptura alii aliter intellexerint, immo ipsam Christi personam et conscientiam Christique munus, ita tamen ut ei omnes proprie dictam divinitatem abjudicaverint.

Porro a kantiana philosophia devenit Fichte (1762-1814) in purum subjectivismum, Schelling (1775-1854) in systema de puro absoluto, non sine aliquo is quidem mysticismo, quo vel catholicos aliquandiu illexit: Hegel (1770-1831) in purum idealismum, sed ita ut non paucae ejus opiniones, v. g. de ideae evolutione per thesim, antithesim, synthesim, de eo quod est *fieri* et adspectu rerum dynamico potius quam statico, de nisu quodam ideae (vel rebus) inhaerenti et ad melius tendenti, a toto systemate separatae, vim magnam habuerint, et adhuc vigeant.

Post Kantium et Schleiermacher, maxime videtur, fortasse per Ad. Harnack, influxisse Albertus Ritschl in opiniones recentiorum : cujus haec duo sunt characteristica, primum quod verba a traditione et a Scriptura sacra reciperet, sensum vero verbis novum infunderet ; deinde quod distinctionem inter judicia metaphysica vel de rebus ipsis (*Seinsurteile*) et judicia practica vel de valore et usu rerum (*Werturteile*) induxerit, ita ut agnosticismum de rebus profiteretur, de solo rerum valore quoad nos curaret ; in quo ad pragmatismum quemdam religiosum jam propendebat, *modernam* quae dicitur theologiam praeparabat, et protestantismo liberali viam sternebat, secundum quem fides inducitur mere fiducia-

lis, ab omni dogmate libera, quae vitam suam religiosam ad vitam Christi, secundum filialem scilicet in Deum patrem fiduciam, componat, quid vero crediderit et docuerit Christus non curat nisi historice.

Interea exegesis et historia religionis christianae a Strauss vel Baur ad leges hegelianae evolutionis exigebatur, donec schola historica quae dicitur, duce maxime Ad. Harnack, jugum Tubingianorum excussit, et documentis historicis propius inhaerens ad catholicorum positiones, historicas scilicet, de origine librorum sacrorum, et aliquantum etiam de vita Christi ac de initiis Ecclesiae non unum gradum fecit.

Alia via non pauci, scientiis maxime naturalibus addicti, crassum materialismum professi sunt: ut L. Büchner in suo libro de vi et materia [1]; ut Haeckel, qui nomen *Monismi* invexit, ut unicam omnium rerum originem indicaret materiam et materialem evolutionem, ad quam religionem ipsam referebat in suis libris de Monismo ut vinculo inter religionem et scientiam et de mundi aenigmatis [2].

Alii, ut Schopenhauer (1788-1860), primas partes in mundo voluntati vel nisui cuidam inconscio tribuerunt, quae voluntas bonum universum sectando singulorum conatus ad bonum particulare irritos facit: unde *pessimismus*. A quo non est alius exitus nisi suppressa vivendi voluntate propria, ad quod plebi patet via ascetismi religiosi, philosopho via contemplationis. In quo cum non pauca sint vel vera et pulchra, vel puchre dicta, magnus fuit ejus influxus ab anno circiter 1860, apud nos 1880 [3].

Eadem fere pessimismi et pantheismi via, Ed. von Hartmann in sua philosophia *de inconscio*, quod dicitur, et de futura religione [4], Buddhisticam religionem indicabat ad solven-

1. *Kraft und Stoff*, Frankfurt am Mein, 1855; 8ª editio, 1894, sub titulo *Kraft und Stoff*, oder *Grundzüge der natürlichen Weltordnung*.

2. *Der Monismus als Band zwischen Religion und Wissenschaft*, Glaubensbekenntniss eines Naturforschers, Bonn, 1893; *Die Welträthsel*, gallice translatum sub titulo: *Les énigmes de l'Univers*, 1902.

3. Hujus praecipuum opus, *Die Welt als Wille und Vorstellung*, primum editum est Lipsiae anno 1819, deinde valde auctum anno 1844; gallice translatum est.

4. *Philosophie des Unbewusten*, 1869 (gallice translatum); *Die Selbstzersetzung des Christenthums und die Religion des Zukunft*, 1874 (gallice sub titulo: *La dissolution du christianisme et la religion de l'avenir*).

dum problema religiosum, quippe quae nos liberet ab omni cupiditate et voluntate vivendi.

Nietzsche contra ex eodem pessimismo exitum indicat per paucorum evolutionem in *Hominem superiorem* (*Uebermensch*), cujus e Zoroastricis aphorismis multi doctrinam de jure fortiorum ad omnia hauserunt, et christianam virtutem odisse didicerunt[1].

Catholici non omnino immunes ab hujusmodi opinionibus fuerunt. Unde fit ut Ecclesia non semel intervenerit, ut maxime contra Hermes, contra Guenther, contra Frohschammer, etc. Quanquam non tantum detrimenti fortasse ex his doctrinis acceperunt quam ex defectu sensus traditionalis vel in philosophia vel in theologia, ex defectu etiam debitae submissionis respectu magisterii authentici. Unde factum est ut remaneret campus apertus vel singularibus aliquorum opinionibus, vel influxui kantiano multiformi, vel effrenatae opinandi licentiae[2].

Hollandia cum in multis sub influxu Germanorum fuit, tum duabus disciplinis maxime valuit : critica et historia religionum. Criticam vel audaciam vel licentiam ad biblica non pauci transtulerunt ; qua in re magnus fuit influxus Kuenen. Ad historiam religionum multum contulit Tiele, multum Chantepie de la Saussaye, quorum libri de ea re multum vel in Germania vel in Gallia diffusi sunt[3].

In *Anglia*, praecipuus motus in re religiosa fuit « motus Oxoniensis » qui dicitur ; in quo praecipuae fuerunt partes J. H. Newman, qui etiam non parum influxit in nostrorum temporum vel theologiam vel philosophiam religiosam, per ea maxime quae scripsit cum de evolutione dogmatis, tum de assensu religioso, duobus libris egregiis[1]. Extra eorum castra qui revelationi christianae adhaerent hi maxime influxus valuerunt : Positivismi, etiam per feminas (Miss Martineau, George Elliot)

1. *Also sprach Zarathustra*, 1883, 1884, 1891 (gallice translatum).

2. Qua de re videsis Kleutgen, *Die Philosophie der Vorzeit*, et *Die Theologie der Vorzeit* ; Denzinger, *Vier Bücher von der religioesen Erkenntniss*, Wirceburgi, 1856-1857.

3. *An Essay on the Development of Christian Doctrine*, 1845 ; *In aids to a Grammar of assent*, 1870, utrumque saepe reeditum.

propagati, qui apud quosdam (Mallock, Frederic Harrison), valde amice in catholicos et catholicam religionem propensus fuit; Historiae religionum, qualis est maxime per Max Müller vulgata, qui praeter religiones, quarum mythologicam evolutionem ad nomina fere reducit, sensum religiosum admittit cui *henoteismus* quidam intimus respondeat, a monotheismo distinctus, qui vel in polytheismo lateat; Darwinici systematis de origine specierum per transformismum; Evolutionismi Spenceriani cum politiore Agnosticismo, qui Deum quidem vel divinum aliquid esse fateatur, sed quale illud sit neget posse cognosci, et cum psychologica evolutionis religiosae ab infimis elementis per animismum, fetichismum, mythologiam explicatione; Germanicae philosophiae vel kantianae vel hegelianae, sed cum accommodatione ad facta realia et ad sensum humanum per Caird, et in alia via per Schiller, qui *Humanismum* qui dicitur aut invexit aut nominavit; Scepticismi cujusdam speculativi sed practice religiosi, qualem exposuit Balfour in suo libro de fundamentis fidei; Materialismi in omnem religionem infensi, qualem propugnavit Huxley in suis sermonibus laicis; Protestantismi liberalis, sed cum tendentia, apud multos, ad aliquam quasi saecularisationem rei religiosae, et omnimodam separationem ab omni religione positiva, etiam christiana : qualem tendentiam exhibent non pauci articuli philosophiae religiosae in *Hibbert Journal*.

Ab his tendentiis videntur immunes fuisse Catholici, nisi paucos fortasse modernistas excipias, de quibus postea erit sermo.

In *America*, ut omittam innumeros illos motus religiosos, qui in iis regionibus aliquando excitantur et late propagantur, ad breve, ut plurimum, tempus vigent, valuit maxime his annis *Pragmatismus* vel philosophicus vel religiosus, qualem excoluit William James et in sua psychologia et in suo libro de varietate religiosae experientiae, in quo phaenomena accurate describuntur et de iis judicatur pro eorum valore practico, ita ut criterium veritatis sit utilitas. Quo vero animo sint vel in religionem vel in religiones multi in his regionibus bene ostendit *Parlamentum religionum*, quod dictum est, anno 1893 in urbe Chicago habitum.

De *Dania, Suedia, Norvegia,* haec occurrunt nobis, praeterquam quod notum est in his regionibus multum valere Germanorum influxum. In Dania, post bacchanalia, ut ita dicam, modernae scientiae et culturae, quibus bene jungitur nomen G. Brandes, quidam resipiscere coeperunt, e quibus J. Joergensen ad catholicam religionem transiit [1]. In philosophia religiosa magnus fuit influxus Soeren Kierkegaard, qui cum philosophiam speculativam parvi penderet, quippe qui eam ad subjectivismum totam reduceret, ad practica magis inclinabat, contra Ecclesiam vero in patria sua constitutam, fere ut Tolstoï in Russia, vehementer insurgebat, ut quae nimis terrestris esset et ab evangelica mundi abnegatione recessisset; cujus opiniones aliquae ad nos per Ibsen, qui sub ejus influxu fuit, pervenerunt. Haraldus Hoeffding, etsi in philosophia speculativa ad criticismi principia accedit, fere tamen in experimentali vel psychologia vel ethica consistit et sobrie versatur; cujus et methodus et opiniones incipiunt vel in nostris regionibus et spargi et placere. E *Russia* excepimus maxime opiniones religiosas et sociales L. Tolstoï † 1910 qui et societatem videtur voluisse ad aevum, ut ita dicam, patriarchale reducere, et religionem ad Christum solum, extra omne institutum ecclesiasticum inducere; quem Christum fingit ipse quasi ad suam imaginem, per modum reformatoris mere moralis et socialis, cujus totum evangelium revocetur ad sermonem in monte, et eum quidem expurgatum.

In regionibus catholicis, quales sunt *Italia, Hispania, Lusitania*, vix quidquam occurrit quod huc referatur, cum tendentiae acatholicae eaedem fere fuerint quas in reliquis religionibus indicavimus. Iites vero inter catholicos non sint hujus loci.

14. **Tendentiae praecipuae acatholicorum.** — Varia systemata philosophica quae saeculo XIX viguerunt relativismus kantianus, pantheismus vel idealisticus vel materialis, materialismus, positivismus, immanentismus, traditionalismus evolutivus, ontologismus, idealismus, spiritualismus eclec-

1. Vide A. d'Armailhacq. *Néant et Vie*, 1898 et 1913. Quae est translatio opusculi Joannis Joergensen.

ticus, evolutionismus, agnosticismus, et si quid est aliud quomodo in conceptus religiosos influant facile intelligitur.

Haec vero systemata partim totam philosophiam attingunt, ut materialismus vel idealismus, partim aliquod speciale punctum, ut traditionalismus, ontologismus, determinismus.

Haec autem ipsa non ita sunt inter se distincta et separata ut non inter se tangant et misceantur. Sic a relativismo kantiano fit gradus hinc in idealismum, hinc in positivismum, hinc in sentimentalismum vel dogmatismum moralem. Sic positivismus quorumdam, ut Taine vel Renan, admixtam habet magnam partem idealismi hegeliani; aliorum, ut Littré, totus fere materialismum sonat; aliorum annexum habet subjectivismum vel fideismum in re religiosa et morali, vel fere agnosticismum.

Hinc fit ut potius tendentiae existant quam systemata. Sunt autem praecipuae tendentiae : rationalistica, critica, subjectiva et relativa, positiva, evolutionistica et monistica, materialistica. Quae ipsae inter se multipliciter tangunt et miscentur, maxime in iis quae agnosticismum et evolutionismum spectant.

15. **Horum systematum contactus cum notione Dei et religionis.** — Deum aliqui aperte negant; multi aequivalenter, cum eum nolint esse a rerum universitate distinctum, sed ponant vel ut id quod est absolutum in rebus et immutabile, sive id est mere ideale sive reale, sive est in fieri, sive exsistit; vel ut omnium rerum collectionem : unde fit ut nullus sit Deus causa mundi efficiens vel finalis; vel ut principium activum in omnibus rebus. Alii non negant, sed incognoscibilem dicunt, vel etiam id, quodcumque est, quod est ultra cognita vel cognoscibilia, quod est τὸ incognoscibile (quod ultimum iterum in atheismum prope recidit). Alii et esse aiunt, et cognosci aliquo modo posse, sed non ratione, neque via intellectuali sed vel postulato rationis praticae, vel sensu aliquo morali ac religioso. Schola spiritualismi gallica de Dei existentia, natura, attributis cum philosophia catholica magna ex parte consentit, ac deismum propugnat.

Pari passu cum notionibus de Deo procedunt ea quae sunt de religione. Sensum religiosum et factum nemo non agnoscit.

Sed hoc alii aliter explicant. Quidam nihil esse nisi subjectivum, sive hoc essentiale est homini, sive est nescio quid morbidum quod educatione et scientia tolletur. Alii religionem naturalem habent pro rationabili et fundata, sed religiones positivas omnes rejiciunt vel negligunt. Hi dogmata quaedam, ut ita dicam, naturalis religionis admittunt. Alii vel merum sensum subjectivum admittunt, religionem sine objecto, fidem sine dogmate, vel omnia dogmata « symbolice » exponunt, ut conatum mentis ad concipiendum et exprimendum id quod nec concipi nec exprimi potest. Is conatus dignus est quem historice investigemus, quippe qui pro evolutione mentis et variis condicionibus vel historicis vel philosophicis evolvatur. Cujus evolutionis terminus, secundum alios, est suppressio dogmatum Harnack ; secundum alios, pro termino est series indefinite sese evolvens cum progressu scientiae et evolutione philosophiae Sabatier .

16. **Quid sit commune in his systematis.** — Horum omnium, quantum aliquid inter eos convenit, haec fere sunt dogmata vel axiomata :

1. Nihil esse supernaturale, nec fieri miracula.

2. Revelationem omnem extrinsecus datam nihil esse nisi fabulam vel mentis figmentum.

3. Fidem dogmaticam cum ratione non posse conciliari, sive utrumque natura sua est ab altero plane diversum Kantiani , sive omnis fides positiva caret fundamentis rationalibus, nec stat cum critica (Cousin, Renan, etc.).

4. Nullam religionem vel positivam vel supernaturalem esse *absolutate veram* aut divinae originis, nullam *definitivam*.

5. Principia agnosticismi, relativismi, evolutionismi, immanentismi.

6. Reductio religionis ad sensum religiosum nescio quem.

N. B. 1. — Ex iis vix est ullus qui recte intelligat quid sit ordo supernaturalis et quomodo se habeat ad ordinem naturalem; vix ullus qui doctrinam catholicam exponendo non corrumpat; vix ullus qui religionem naturalem et philosophiam aut sensum communem naturalemque hominis instinctum non violet; nemo qui critice et scientifice omnino cum christiana aut catholica religione agat.

N.B.2. — Recte advertit D. de Broglie : « Ce qui montre la force de cette argumentation (qualem dat apologetica catholica), c'est l'embarras qu'elle cause aux adversaires. Pour la détruire, ils sont forcés de s'attaquer aux principes mêmes de la raison ou aux règles de la critique historique. Pour échapper à Dieu, ils se jettent dans le scepticisme, qui est le suicide de la raison. Pour échapper à Jésus-Christ et à son Eglise, ils sont forcés d'altérer l'histoire. — C'est cette lutte contre Dieu et contre Jésus-Christ qui a réduit la raison contemporaine à l'état misérable que nous avons constaté. On reconnaîtra cela plus tard quand on fera l'histoire de la philosophie des deux derniers siècles[1]. »

17. **De harum tendentiarum origine.** — Haec breviter dici possunt : subjectivismus religiosus ac fides sine dogmate jam a Luthero ortum habuit, etsi is hujusmodi consectaria nec vidit, et, quantum vidit, rejecit; eodem tendit sensus calvinisticus de propria justificatione et praedestinatione. Idem promovit kantiana illa separatio rationis practicae ac theoreticae, ordinis scientifici ab ordine religioso et morali, quae res religiosas ab ambitu rationis removet : unde sentimentalismus religiosus, etc.

Autonomiam rationis, et ab omni jugo emancipationem, ad quam sequitur individualismus, paraverat etiam Lutherus in ordine religioso; promovit Cartesius in ordine philosophico : qui, ut intellectualismi exaggerati causa, ita etiam nimiae reactionis contra intellectualismum fuit; idem cum veritates religiosas et morales a critica sua removeret, ansam dedit separatismo vel kantiano, vel scholae eclecticae; quin etiam et criticismum kantianum idem paravit, et materialismo viam stravit cum intellectualismo suo tum mechanicismo, ut omittam quod ei magna ex parte debetur catholicae philosophiae ruina, quae causa fuit tot errorum ac systematum.

Ratio etiam habenda est et miri progressus scientifici ac materialis, et methodi criticae, analyticae, historicae, et fascinationis quam creant systemata illa positivismi, evolutio-

1. *Les conditions modernes de l'accord entre la foi et la raison* (conférences de 1895), 1903, 2e leçon, début, t. I, p. 29.

nismi, monismi, immanentismi, cum ob ingenitam tendentiam mentis humanae, tum ob concordiam cum factis quibusdam. Multa sunt in his illogica sane, sed quibus mens humana vehementer illiciatur.

18. **De praesenti statu mentium**. — Inter eos qui de rebus philosophantur, et neque catholici sunt neque firmiter adhaerent alicui religionis formae dogmaticae, omni aquasi spirant subjectivismum vel relativismum, positivismum, evolutionismum. Unde fit ut multi in re religiosa et metaphysica sint speculative agnostici et ab omni absolutismo alieni, potiores autem partes in re religiosa et morali vel voluntati vel cordi vel conscientiae tribuant, omnimodam in hujusmodi rebus autonomiam rationis et voluntatis vindicent, omnem dogmatismum respuant et omnem in cogitando libertatis limitationem. Methodus positiva fere sola in usu est, et id quidem utiliter in re scientifica et historica, modo rite adhibeatur; notio ejus quod est *fieri* et evolutionis, conceptio rerum genetica et dynamica multum placet, idque non sine fructu; item rerum consideratio historica et psychologica potius quam metaphysica, cura de homine et de humanis, de rebus et factis potius quam de notionibus et ideis.

Loco vero veteris religionis aliqui simpliciter quamdam quasi religionem scientiae vel naturae substituunt. Sic monistae, ut Haeckel, Huxley, Guyau, Berthelot, Le Dantec, Metschnikoff, qui *scientiam* quam dicunt ad omnia sufficere putant; sic positivistae placitis Augusti Comte addicti, qui omnia ad progressum humanum referunt. Sic aliqui dilettantismi sectatores, quorum pauci sunt adhuc superstites, qui risum Voltarianum cum Renaniano quasi conjungunt ut Anatole France, ad omnia seria sceptici: item aliqui pessimistae, ut Sully Prudhomme, aliqui theosophi aut occultistae. Qui omnes in eo conveniunt quod christiana religio vel mortua est vel brevi moritura.

Qui autem vere religiosi volunt esse, ab affectu et voluntate fere requirunt quod ab ratione jam non exspectant. Qui si magis sunt philosophi, agnosticismum fere expoliunt et ad pragmatismum aliquem convertunt; si magis morales, omnia ad dictamen conscientiae vel kantianum imperativum exigunt: si

magis religiosi sunt et christiani aliquid volunt servare : vel post Schleiermacher, in sensum religiosum nescio quem, pantheisticum simul et Christo addictum, inclinant ; vel, post Hegel, in religione christiana perfectam synthesim christianam inveniunt, ut Ed. Caird ; vel, idque saepius, ex evangelio et Christi doctrina id eligunt quod arbitrantur, pro suis scilicet opinionibus, ad essentiam vel religionis vel christianismi pertinere, et inde vivunt vel vivere conantur vitam suam religiosam et moralem, ut Ritschl, A. Sabatier, Harnack. Aliqui tandem, inquieti et anxii, non una via ad catholicam religionem attrahuntur : alii necessitate ordinis religiosi et moralis, alii pulchritudine et sanctitate, alii rerum cognitione et inquisitione scientifica.

Haec fere secundum L. de Grandmaison notas privatas *Ad theses de vera religione*, § 12, p. 38-41. Vide etiam R. de la Broise, *La religion et les religions*, l. c., p. 68 sq. Hic in Appendice.

19. **De modernismo.** — 1. *Notio.* Hoc nomine designatur summa earum vel doctrinarum vel tendentiarum quibus aliqui catholici, aliqui etiam protestantes, christianam vel catholicam religionem cum placitis et ratione agendi vel philosophiae recentis vel criticae ita conciliare conati sunt ut vetus dogma perverterent et pro christiana doctrina novas opiniones inducerent a Christi et Ecclesiae doctrina alienas.

2. *Bibliographica.* Ante omnia consulenda et meditanda est Encyclica *Pascendi*, ubi ad unum rediguntur quae passim apud modernistas occurrebant dispersa. Inter ea quae de ea re a catholicis post Encyclicam scripta sunt usui fuerunt maxime : J. Lebreton in opusculo de Encyclica et de modernistarum theologia [1], ubi ostenduntur modernistarum placita et eorum connexio cum placitis protestantismi liberalis ; A. Tanquerey in Appendice I ad tractatus *De vera religione, de Ecclesia, de fontibus revelationis*, edit. 13 (1910), t. 2. *De modernistarum erroribus*, p. 699-716, cum bibliographia [2]. Systematis hujus ele-

1. *L'Encyclique et la Théologie moderniste*, 1908.
2. *L'Evangile et l'Eglise*, 1902 ; *Autour d'un petit livre*, 1903 ; *Quelques*

menta praecipua ante Encyclicam dederant maxime : A. Loisy in suo opusculo de Evangelio et de Ecclesia (quod G. Tyrrell classicum modernismi enchiridion vocavit), in libro ad hujus libri defensionem dato, in epistolis non paucis aut articulis periodicis[1] ; G. Tyrrell partim in libris suo nomine editis, sed praesertim in libris aut articulis pseudonymis quae fere clam circumferebantur[2]; Fogazzaro, *Il Santo*, 1906; Ed. Le Roy, *Dogme et critique*, 1907 : e quibus quatuor videtur maxime constare modernismus qualem descripsit Encyclica *Pascendi*. Post Encyclicam, idem systema habemus ex professo expositum in programmate modernistarum[3] ; item in libro G. Tyrrell, *Christianity at the cross-roads*, 1910[4].

3. *Brevis conspectus historicus*. Modernismus ortum habuit ex laudabili voluntate conciliandi fidem catholicam cum doctrinis et tendentiis illis quae passim circumferebantur, quarum notionem aliquam superius dedimus, numero 18. Sed id modernistae fecerunt, non ostendendo nihil esse in vero progressu vel philosophico vel scientifico vel historico quod nostrae fidei repugnet, neque integrando in doctrinam catholicam quidquid ex illo progressu multiplici in ejus bonum vel luminis vel vitae vivacioris vel efficaciae afferri posset, sed

lettres sur des questions actuelles, 1908 (quae est collectio epistolarum antea datarum); cf. *Simples réflexions sur le Décret* LAMENTABILI *et sur l'Encyclique* PASCENDI, 1908 (ubi maxime agitur de iis quae idem antea scripserat).

1. Postquam nostra de ea re scripta sunt prodierunt germanice duo libri ubi fuse de Modernismo agitur : *Der Modernismus dargestellt und gewürdigt*, von Dr. Anton Gisler, prof. der Dogmatik (Curiae Einsiedeln, 1912, XXVIII-686 p.; *Philosophie und Theologie des Modernismus. Eine Erklärung des Lehrgehaltes der Enzyklika* PASCENDI, *des Dekretes* LAMENTABILI *und des Eides wider den Modernismus*. Von Julius Besmer, S. J. Freiburg im Breisgau, 1912, XII-611 p.

2. Vide ejusdem *Through Scylla and Charybdis*, 1907, ubi ex iis non pauca collecta sunt; *A much abused letter*, 1906 ; *Théologisme*, in *Revue pratique d'Apologétique*, 15 juillet 1907; Hilaire Bourdon, *The Church of the future*, 1903, quod nuper, 1910, est redditum ut ejusdem opus; H. Wallace, *The Civilizing of the Matafanus*, ubi omnia eum spirant et indicant.

3. *Il programma dei modernisti*. Riposta all'Enciclica di Pio X « Pascendi dominici gregis », Romae, 1908.

4. Cujus libri longam recensionem dedit J. V. Bainvel, *Le dernier livre de G. Tyrrell*, in *Études*, 20 juin 1910.

fidem ipsam nostram et dogmata ita accommodando ad recentioris vel philosophiae vel scientiae vel historiae placita et opiniones ut et catholicam doctrinam de fide, de dogmate, de dogmatum evolutione, de Ecclesiae ecclesiasticaeque auctoritatis natura atque institutione perverterent, et hujus doctrinae fundamenta historica, philosophica, scientifica vel convellerent vel pro damnatis et antiquatis haberent. Nimium scilicet vel imbuti spiritu recentioris philosophiae et circumfusarum opinionum (agnosticismi, immanentismi, subjectivismi, relativismi, positivismi, evolutionismi), vel confisi assertis virorum in re sua aliquando praestantium sed a catholico dogmate fere alienorum aut iniquorum: non satis firmi in fide neque satis instructi doctrina et armati ad satisfactionem vel sibi vel omni poscenti rationem de ea quae in ipsis esset spe, sed solido fere philosophiae ac theologiae fundamento destituti; suis viribus suaque doctrina et ingenii praestantia freti (suas non ipsi dicebant quidem, neque fortasse cogitabant, sed de iis ut de nostrorum temporum progressu gloriabantur, suarum opinionum tenaces, suae libertatis quasi ebrii et veteris traditionis vel auctoritatis ecclesiasticae contemptores, cujus naevos tantum et technicae methodi aliquam in quibusdam carentiam videbant, vim et firmitatem non videbant; nescio quibus novitatis et progressus illecebris seducti, manus tandem victas dederunt non veritati et scientiae, ut ipsi se facere jactabant, sed mixtis cum veritate et scientia erroribus, et doctrinae catholicae retentis solum nominibus, veritatem vel reliquerunt vel corruperunt.

Multum in eos valuisse influxum, non directe Kantii quidem vel Hegelii vel Augusti Comte, aut ceterorum coryphaeorum (quibus non multam operam videntur dedisse), sed opinionum quae ex his fontibus emanarant, et ipsi confessi sunt et res ipsa testatur. Inter eos qui proxime apud eos valuerunt nominandus est in Gallia Ernestus Renan (cui rei ipse attestatus est A. Loisy), nominandus maxime Augustus Sabatier, cujus liber de philosophia christianae religionis quasi in unum doctrinae corpus sparsas undique opinionum particulas collegit. Modernistarum dux ab omnibus agnoscebatur A. Loisy; ceterorum coryphaeorum nomina dedimus, eorum libros indicando.

Inter modernistas saepe accensetur Schell, et is quidem non sine aliqua ratione: nam motus ille Schellianus, vel *catholicismi progressivi,* multa habet cum modernismo communia, multa admixta modernismi elementa; tamen si quis doctrinas et methodum spectat, neque Schellianae doctrinae neque ejus methodus videtur ad modernismum simpliciter reduci, sed magis ad Americanismum.

Modernismi motum aliquo modo praeparavit Americanismus, qui dictus est, non tam fortasse doctrinis quam tendentiis non paucis; qui ipse liberalismi vel doctrinis vel tendentiis aliquo modo affinis fuit. Sed initia et momenta modernismi hinc ad criticismum kantianum et ad opiniones affines (positivismi, agnosticismi, evolutionismi, immanentismi, pragmatismi, autonomiae humanae) inde ad protestantismum liberalem, in quo jam eae tendentiae et aderant et vigebant, videntur maxime esse referenda [1].

4. *Doctrinae, tendentiae, methodus.* Eae satis jam vel ex dictis vel maxime ex Encyclica cognoscuntur. Hic pauca sunt advertenda.

Modernismus, si ejus *principia* spectes, primo ita autonomiam conscientiae individuae praedicat ut Ecclesiae auctoritatem non aliter admittat vel non aliam quam societatis civilis; deinde, ita separat fidem a scientia ut nihil sit utrique commune, cum fides vel ad dispositionem moralem, vel ad rationem practicam tota referatur, ratio vero theoretica vel scientia nihil attingat nisi relativum, de absolutis vero vel metaphysicis nihil recte pronuntiet nisi se ignorare [2]. Si ejus *theologiam* spectes, quatenus fidei originem, fidei formulas vel dogmata, fidei regulam considerat, haec habet:

Revelatio tota ad factum vitale et subjectivum reducitur, quod ipsum totum est non in veritatis perceptione sed in motione quadam quae a subconscii limine in conscientiam prodeat. Porro ex hac motione oriuntur quidem repraesentationes mentales, sed quae ita totae sint ab homine, et earum tota vis expressiva

1. Qua in re multa acute perspexit A. Leclère in laudato libro, *Pragmatisme, Modernisme, Protestantisme;* quanquam non omnia in eo libro probamus.

2. Vide testimonia apud Lebreton, *l. c.*, p. 20-23.

vel repraesentativa ita limitibus subjectivis contineatur, ut revelatio non tam in expressione sit quam in impressione, non tam in veritatis divinae communicatione quam motione quadam religiosa quam mens propria activitate in ordinem intellectualem et cognitivum transferat, et ita quidem ut tota vis et valor representationis et a motione sit et ad motionem referatur, tota fidei veritas relativa sit, et non a conformitate ad rem sed a motionis vel expressione vel excitatione repetenda.

Hinc fit ut formulae nostrae dogmaticae ne germen quidem habeant in revelatione, cum revelatione nihil reale manifestetur, neque earum valor sit repraesentativus, sed mere conservativus primitivae motionis et ejusdem excitativus. Qui valor eo ipso caducus esse potest, si eae repraesentationes intellectuales, quarum ipsae sunt formulae, vel obsoleverint vel ad praesentem scientiae statum et mundi conceptionem non satis respondeant.

Unde fit ut evolutio dogmatis legitima non in eo sit ut idem in « eodem sensu eademque sententia » — verba sunt Vincentii Lirinensis a Vaticano quasi canonizata — aliter aliis temporibus exprimatur, sed in eo ut eae formulae pro temporibus eligantur quae cum aliud exprimant, utpote aliis mundi repraesentationibus conformes, eamdem religiosam in credentium animis motionem tueantur et excitent : quale aliquid jam damnaverat in Guenthero Vaticanum, nisi quod Guentherus non ad primigeniam motionem religiosam, sed ad conformitatem cum philosophica evolutione omnia referebat et inde formularum veritatem totam repetebat[1].

Ex his facilem esse gradum non modo ad protestantismi liberalis placita (a quibus tamen maxime abhorrebant aliqui ex modernistis, ut G. Tyrrell, quasi perspiceret inde esse periculum), sed ad omnis religionis objectivae perversionem quis non videt? Quod vero modernistae cum hujusmodi doctrinis et catholice vivere et catholicam fidem profiteri catholicasque formulas fidei pronuntiare et in Ecclesia, invita Ecclesia, remanere posse se arbitrantur, quis pius aut sincerus non miretur?

1. Vide testimonia de opinionibus modernistarum apud Lebreton, *l. c.*, p. 27-46.

5° *De modernismi reprobatione per Ecclesiam.* Ex his facile intelligitur modernismi reprobatio per Ecclesiam. Sed cum modernistae hujusmodi vel doctrinis vel tendentiis vel methodis multa admiscerent et bona et vera — ex quibus maxime oriebatur et seductionis periculum et difficultas discernendi quid approbari posset, quid rejici deberet — cavendum est ne sub modernismi nomine multa comprehendamus quae nihil habent cum modernismo proprie dicto commune, ut sunt studium veritatis et scientificae inquisitionis, judicium criticum et cautio ab omnimodis praejudiciis, sensus evolutionis rerum et ejus quod est in nostra cognitione subjectivum, relativum, limitatum, maxime respectu Dei et divinorum, methodus vere scientifica, cura de vero progressu in omni ordine, scientifico, philosophico, historico, per assimilationem et integrationem in systema vel theologiae vel apologeticae omnium elementorum quae cum in philosophia recentiorum et vera et utilia esse nemo non earum rerum rudis negabit, tum ab historicis disciplinis comparari licet; et si quid aliud hujusmodi ab hominibus nostrae aetatis mutuari licet aut ab iis discere, ut nihil sit extra ambitum Christi et Ecclesiae, nihil quo ipsa non utatur et ea sibi accommodet, ipsa se, quantum potest, accommodando, ad suorum profectum et ad aliorum conciliationem, cum sit omnibus debitrix et omnibus omnia fiat necesse est, ut omnes Christo lucrifaciat. Fuit scilicet modernismus deviatio a motu necessario et ineluctabili, in quo multa erant bona et utilia, non ipse motus unde facta est hujusmodi deviatio in exitum lamentabilem totus malus fuit et reprobandus.

20. **De motu mentium in linea catholica et de praesenti statu.** — *Limitatio argumenti et notula bibliographica.* De ea re non est cur multa dicamus, cum plurima non sint ad rem nostram, ex iis vero quae ad rem nostram sint, aliqua jam satis sint, pro nostro brevitatis studio, indicata, alia melius alias, cum de apologetica sermo erit, indicabuntur.

Porro brevem hujus rei conspectum dat J. V. Bainvel, *Le dogme et la pensée catholique au XIX^e^ siècle*, in libro *Un siècle*, c. xxx, p. 811-844: quo in libro alia multa sunt ad rem

nostram, ut *La critique,* par le R. P. Lapôtre, c. XIV, p. 335-369; *La philosophie,* par M. le chanoine Didiot, c. XV, p. 370-408; *L'histoire,* par Mgr Duchesne, c. XXI, p. 552-561; *Les luttes de l'Église,* par M. G. Fonsegrive, c. XXVIII, p. 765-789; *L'expansion de l'Église catholique,* par le R. P. A. D. Sertillanges, c. XXIX, p. 790-810; *La vie intime de l'Église,* par S. G. Mgr Touchet, c. XXXII, p. 860-881; quibus accedunt *Préambule,* par M. le vicomte E. M. de Vogüé, IX-XXVI; *Conclusion. Vers l'unité,* par S. E. le cardinal Richard, 885-912.

Inter innumeros libros hi, prout in mentem occurrunt, indicantur : Mgr Baunard, *Un siècle de l'Eglise de France, 1800-1900;* ejusdem vitae aliquae, ut maxime *Histoire du cardinal Pie,* évêque de Poitiers, 1886, et alii libri non pauci, ut *La foi et ses victoires.* Aliae aliorum vitae multae, ut : E. Lecanuet, *Montalembert,* 3 vol., 1896-1901; E. et F. Veuillot, *Louis Veuillot,* 4 vol., 1899-1913; (dom Delatte) *Dom Guéranger,* 2 vol., 1909-1910; quae innumera scripta sunt de Lamennais et motu Mennaisiano, quibus bene accensetur : Mgr de Ladoue, *Histoire de Mgr Gerbet et de l'école mennaisienne,* 3 vol., 1860. De ea re tractant etiam historici, ut A. Nettement, *Histoire de la littérature française sous la Restauration;* ut P. Thureau-Dangin, *Histoire de la monarchie de juillet,* 7 vol., 1885-1892; ut P. de La Gorce, *Histoire du second empire,* 7 vol., 1894-1901; quaedam apud Taine, *Les origines de la France contemporaine; Le régime moderne.* Plura historiae rerum ecclesiasticarum, ut Baunard, jam laudatus; ut Lecanuet, *L'Eglise de France sous la troisième république* (qui tamen fere non censetur satis aequus ergo eos qui liberalismo adversati sunt). Multa invenias apud L. Veuillot, *Mélanges;* multa apud eos qui de rebus litterariis scripserunt, ut Sainte-Beuve, J. Lemaître, Faguet, Brunetière : maxime ad rem nostram sunt non pauca quae scripsit, G. Longhaye, libro jam laudato, *Le XIXe siècle. Esquisses littéraires et morales,* maxime t. IV. Historias philosophiae jam indicavimus vel motuum philosophicorum; propius accedunt ad rem nostram historiae theologiae vel motuum theologicorum, ut F. Lenoir, *De la théologie au XIXe siècle,* 1893; ut Ph. Torreilles, *Le mouvement théo-*

logique en France, depuis ses origines jusqu'a nos jours 1901 ; maxime J. Bellamy. *La théologie catholique au XIX^e siecle,* 1904. Item K. Werner, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur*, t. V : *Geschichte der katholischen Theologie Deutschlands seit dem Trienter Concil,* Monachii, 1866. De motu catholico in Germania. Goyau, *L'Allemagne religieuse. Le catholicisme;* de motu Oxoniano, P. Thureau-Dangin, *La renaissance catholique en Angleterre au XIX^e siecle,* 3 vol., 1899 sq. De studiis biblicis et quaestione biblica, L. Venard, *Les études bibliques en France depuis quinze ans,* 1908 Extrait de la *Revue catholique des Eglises* : quem etsi nominavimus, obliti tamen sumus suo loco indicare in nostro opusculo *De Scriptura sacra,* ubi cetera invenias quae ad eam rem pertinent.

Bibliographica dant Gla, *Repertorium,* et Hurter, *Nomenclator.*

2. *Conspectus rerum historicus.* Initio saeculi XIX, post religiosam, politicam, socialem rerum omnium, maxime in Gallia, perturbationem, multi hoc unum spectabant ut vetera cum novis connecterent et continuarent, quasi non interesset chaos magnum. Melius et acutius viderunt aliqui, duce Ecclesia, non in simplici regressu ad anteriora esse viam salutarem, sed de novo esse integranda omnia, neque ita esse curandum de veteribus (quia vetera essent) ut nova negligerentur. Huc tendebat J. de Maistre, et cum de rebus gallicis meditabatur, et cum Gallicanae Ecclesiae lumen in Romano Pontifice et ducem salutis ostendebat; huc Chateaubriand, cum veterem religionem a Voltariano risu et a deismo *Vicarii sabaudiensis* vindicabat, ostendendo quam pulchra esset, quam benefica, quam fecunda vitae aestheticae, ut ejus desiderium excitaret et adspirationem ad illam; huc Lamennais, cum indifferentismum religiosum excutiebat, cum rivos vitae salientes ad novas temporum et hominum exigentias monstrabat ex religione catholica scaturire; huc Bonald, Ballanche, Blanc Saint-Bonnet, cum in suis vel theoriis vel somniis sociologicis de reformando ordine sociali agebant. Horum aliqui, ne dicam omnes, etsi nomine catholicorum prodibant in publicum, multa tamen vel sibi propria vel etiam falsa ita cum dogmatis catholicis, v. g. de peccato originali

et praesenti hominis condicione, de necessitate traditionis vel revelationis, miscuerunt, ut pro theologia catholica humanas opiniones aliquando dederint, unde plus damni aliquando quam proventus oreretur.

Eadem fere via alii laici non pauci, ut Donoso Cortès, ut L. Veuillot, ut A. Nicolas, etsi doctrinam catholicam fideliter sectabantur, non tamen diligentiam et scrupulositatem theologicam in loquendo saepe assequebantur. Quod idem dicendum fere est de ceteris laicis vel philosophis vel historicis, qui res christianas, et quidem catholico animo, tetigerunt, ut Fred. Ozanam, ut Ch. Lenormant, ut Alb. de Broglie, ut Fr. de Champagny, ut Brunetière — mortuos tantum nomino — qui tamen aliquando non pauca christianae apologeticae utilia protulerunt. Quibus accenseri aliqui sacerdotes possunt, qui sua plus minus feliciter cum catholicis miscuerunt, ut Balmès, ut Gratry, ut, aliquo modo, Bougaud, ut Drey, ut Deutinger, ut Schell, ut Newman, ex quibus, maxime ex Newman, quanquam ii non omnino theologice procedunt, vel theologia vel apologetica potest ditescere.

Interea in scholis aegre, pro innumeris difficultatibus, tradebatur cum elementari philosophia, ex laciniis conserta Cartesianis, Condillaceis, Reidianis, Scholasticis, theologia quaedam elementaris et apologetica, non mala ea quidem, nisi quod in Gallia non satis a Gallicanismo, vel Jansenismo, in Germania a Josephismo, et sic a similibus vitiis in aliis regionibus, cavebat, verum ex eo manca et debilis, quod non satis accedebat ad fontes puros vitae et doctrinae traditionalis, sed rivulis contenta erat nimium jejunis, cui erat solus fere pro traditione Bossuetus vel aliquis superioris saeculi theologus; nec satis erat sibi vel de suis divitiis vel de suis defectibus conscia, quippe quae in formulis aut addiscendis aut perpoliendis fere versabatur, non satis rerum studiosa; nec vim vivacem ordinis supernaturalis exhibebat, nec scientiae theologicae arcana satis scrutabatur; non tam ex defectu bonorum librorum indigens — nam non omni valore carent Liebermann, Bouvier, Gousset, alii — quam magistrorum, qui libris uterentur, ut magistros decet, ad juvandum et promovendum laborem vel suum vel alumnorum, non ad supplendum.

Vivacior fuit fortasse in Germania spiritus theologicus, sed non semper purus ab omni vel cogitandi licentia vel philosophiae kantianae influxu. Quanquam aliqui in his regionibus eminuerunt, maxime post annum 1850, et profunditate ingenii et sensu traditionis vel philosophicae vel theologicae clari, ut Scheeben, ut Kleutgen: aliqui, etiam priore saeculi parte, ut Moehler, paulatim ad altiora et ad meliorem doctrinae catholicae sensum adscenderunt.

In Italia, viguit maxime vis et influxus sanae theologiae, idque vel ab initiis fere saeculi, ut apparet cogitanti de cardinale Gerdil, de Muzzarelli, de Bolgeni, Perrone, etsi vix scholasticus dici potest, sanas tamen doctrinas tuetur, ut Ecclesiae spiritu largiter imbutus: Franzelin magis ille quidem ex patristica traditione quam ex fontibus mediaevalibus haurit, sed ut qui jam sit cum scholasticis, maxime posttridentinis, familiaris.

Philosophiam vero scholasticam ex Ontologorum vel Rosminiano influxu, item ex Physico quodam vel ex Dynamico philosophandi genere, quod etiam in Collegio romano aliquandiu viguit, tandem liberam, egregie promoverunt Sanseverino, Liberatore, alii, donec ad eam Leonis XIII Encyclica *Æterni Patris*, et quae postea in eumdem sensum vel ab eodem vel a Pio X facta sunt, omnes scholas catholicas incitarent.

Similia fere de Hispania dici possunt, nisi quod ibi cum propensior in theologos indigenas animus, tum etiam aliquo modo R. Lulli influxus, a motu in S. Thomam aliquatenus retardavit.

In Belgio valuit maxime influxus Pontificius per Lovaniense Institutum S. Thomae et Periodicum neo-scolasticum (*Revue néo-scolastique*).

Tendentia apologetica toto saeculo apud Catholicos non paucos tendentiam vel stricte scientificam vel stricte theologicam haud scio an aliquo modo impedierit, idque vel ex eo quod multorum studia in hunc sensum dirigebantur. Porro haec ipsa apologetica magis pugnax et defensiva quam constructiva, non sine aliquo ipsius apologeticae detrimento, fuit. Immo, in iis maxime quae biblicam apologeticam spec-

tant, in iis etiam aliquando quae vel historiam ecclesiasticam vel historiam dogmatum spectant, regi se passa est, modo plus minus conscio, principiis quibusdam, vel ejusmodi principiorum intelligentia, quae non omnino esset consona veritati : ut quod non modo conformitas, ut ita dicam, negativa, sed etiam conformitas positiva intercederet inter scientiae placita et libros sacros, ita ut quidam obliviscerentur non humana voluisse Deum nobis tradere, sed, sub formis humanis, divina, et id ex libris sacris quaererent quod esset vel secundum scientiam hodiernam vel secundum hypotheses scientificas tunc vigentes; ut quod auctores sacri non secundum sensum relativum, narrativum, consuetum et practicum, qui verbis et communibus sui temporis notionibus utitur ad scopum divinum, sed absolute semper et assertive quasi censerentur loqui; item quod non modo viva Ecclesiae traditio haberet semper, saltem implicite et sensu exercito, quidquid postea in dogma distinctum et explicitum evolutum esset, sed etiam quaererentur ab initio vel in Scriptura, vel in monumentis primaevae traditionis omnium dogmatum plus minus clara et explicita testimonia.

Non quod ea fuerit unquam vel Ecclesiae vel theologorum doctrina — immo contrarium unanimiter, idque fere explicite, docebant theologi, docebat Ecclesia — sed practice agebatur quasi res ita se haberet. Unde non parum detrimenti vel scientia catholica vel apologetica non semel accepit. Ut enim nihil est verae fidei magis proficuum quam veritas humana et recta investigandi methodus, ita nihil magis ei nocet quam ut pro veritate divina humanae opiniones, hypotheses, errores, infirma argumenta obtrudantur.

Nihilominus non inane neque inefficax fuit opus apologeticae; immo pulchrum et magnum, sive contionatores spectamus, sive scriptores. In Gallia maxime videntur valuisse contionatores apologetici. Sic Frayssinous et aliquo modo Mac Carthy veterem apologeticam suis auditoribus accommodarunt; Lacordaire novam viam aperuit, qua et animos commovit et mentium tenebras ostensa Ecclesiae pulchritudine et beneficentia, ostensa Christi virtute et doctrina, excussit. Quem non pauci, eminus quidem illi, secuti tamen sunt, ut Perreyve,

ut Bougaud. Alia via Ravignan, quasi vi morali et personae et testimonii sui, eodem homines ducebat: alia Félix, cum nullum progressum legitimum Christo et Ecclesiae contrarium, Christum et Ecclesiam omni legitimo progressui favisse ostendebat; alia Monsabré, qui, post praeambula apologetica, optimam fortasse omnium apologeticam struebat, cum veritatem christianam, duce S. Thoma, ipsam, pro captu auditorum et proponebat et exponebat et exornabat. Quod hi Parisiis in tali Ecclesia, alii alibi nec pauci nec inficeti fecerunt, ut Besson, ut multi adhuc superstites.

Quod contionatores in Ecclesiis, hoc etiam magistri in cathedris vel scriptores efficiebant : aliqui indirecte et quasi ex oblata occasione, ut Freppel, qui in lectionibus sorbonicis dum de scriptoribus ecclesiasticis disserit, et solerter doctrinam catholicam, pro re nata, exponit, dilutisque difficultatibus defendit, et plurima credendi motiva in bona luce collocat; alii historice procedunt, ut ii quos jam nominavimus, Ch. Lenormant, Ozanam, Champagny, A. de Broglie, qui eo ipso quod Ecclesiae res et virtutem intelligunt et narrant, optimum apologeticae genus excoluerunt; bene etiam ii qui, ut Gorini, Ecclesiam defendunt rerum veritatem ostendendo et eos modeste redarguunt qui falsa pro veris dederant.

Neque sola defensione contenta fuit polemica contra eos qui ex professo fidem nostram et fidei fundamenta convellere nitebantur, ut cum episcopi vel apologetae non pauci non modo inania esse Ernesti Renan commenta de Christo ostenderunt, sed etiam ita ejus et personam et facta et dicta illustrarunt ut manifestum fieret non humanis cum limitibus terminari. Quod autem de Christo hic dicitur, idem aliquo modo de tota historia biblica valet, nisi quod diu catholici aliis quaestiones criticas reliquerunt, quasi nihil inde quod ad doctrinam valeret erui posset, nihil esse tela quae inde in nos jacerentur : sensu scilicet critico et historico multi caruerunt, ita ut qui eo sensu inter nos non carerent facile eo devenerint ut ei esse contrarium sensum theologicum putarent, quo ipsi nimium carebant. Quod idem aliquo modo de studiis historicis est intelligendum.

Interea aliqui et eximie catholici neque a methodis et rebus

scientificis alieni re ostendebant conciliari utrumque posse, ac fundamenta jaciebant apologeticae quae et ad omnem progressum esset aperta et ad omne verum amice excipiendum parata. Qua in re nominandus maxime est P. de Broglie, qui cum M. d'Hulst multum fecit ad renovandam et poliendam apologeticam.

Magis theologice alii, episcopi maxime, ut Pie, ut Gerbet, qui cum errores naturalismi ac philosophiae separatae et acute viderent et fortiter confutarent, multa dabant egregiae theologiae documenta et publicam, ut ita dicam, Ecclesiae theologiam digne exhibebant. Cujus publicae theologiae monumenta habemus in actis Pontificum hujus saeculi et in concilio Vaticano, ut dici recte possit tanquam magistram doctrinae et veritatis intercessisse maxime Ecclesiam nostris temporibus.

Cujus magisterii acta quis nescit? Ad finem saeculi XVIII referenda est Bulla *Auctorem fidei,* egregium illud theologicae sagacitatis opus contra subtilissimos Jansenistarum errores, sed saeculi XIX sunt acta illa Gregorii XVI contra errores Mennaisianos, Hermesianos, Ludovici Bautain; tot acta Pii IX, quibus vel veritatem catholicam, plaudente orbe christiano, definivit, ut in causa de Immaculato B. Virginis conceptu, vel errores undique pullulantes variis temporibus reprobavit, quorum errorum *Syllabum* cum Encyclica *Quanta cura* ad episcopos mittendum curavit, ut haberent quid vitandum in tanta opinionum pugna esset, quid tuto sequerentur. Sed haec omnia superant duae illae constitutiones Vaticanae, quarum altera summam et infallibilem Romani Pontificis auctoritatem definiendo tantam securitatem fidelibus ad futura certamina dedit, altera quaestiones praecipuas theologiae fundamentalis lucide explicando et firmiter definiendo cum tantam facem theologis praetulit, tum omnibus qui videre vellent ostendit, quanto opere jura rationis cum ejus limitibus curaret Ecclesia. Hac auctoritate usus Leo XIII lumen veritatis in omnibus fere quaestionibus vitalibus mundo ostendit, maxime in quaestione biblica quam ita ample, ita magnifice tractavit in Encyclica *Providentissimus.* Qui etiam non semel, idque maxime in Epistola ad Clerum

gallicanum, ea pericula jam denuntiaverat, eosque errores reprobarat quos Pius X in Encyclica *Pascendi* erat condemnaturus.

3. *De praesenti statu mentium.* Encyclica *Pascendi* factum est ut resecaretur hoc Modernismi malum quod tendentiae cuidam adhaeserat extrinsecus quae ipsa bona esset et ex qua jam bona non pauca provenerant, quam tendentiam scientificam vel objectivam libenter dixerim, immo libentius quam progressivam sive quid aliud nomen potius aliquid subjectivum designat. Non pauci scilicet catholici eo devenerant ut res etiam religiosas, biblicas, theologicas, ecclesiasticas, objective et scientifice, methodo rigorosa, extra opinionum pugnas aut partium studia, esse tractandas intelligerent, non abstrahendo quidem a fide, sed ipsa fidei suae firmitate certi quod fides aut Ecclesia tantum abest ut a veritate scientifice quaesita, studiose appetita, feliciter inventa, detrimenti quidquam capiat, ut potius omne veritatis studium et inquisitio, modo sit prudens et legitima, omnis veritatis inventio, omnis profectus in methodica inquisitione et studio veritatis, in profectum etiam fidei et religiosae veritatis tenderet. Res erat scilicet ordinis scientifici, et tota methodicam veri inquisitionem spectabat. Porro ad hoc accesserat apud quosdam aliud : magna de recentioris philosophiae aut scientiae opinionibus et hypothesibus aestimatio, idque non sine diffidentia de antiqua fide, non sine ecclesiasticae auctoritatis impatientia, non sine veteris philosophiae vel theologiae superbo contemptu, in quo non parum inerat ignorantiae et temeritatis. Hinc apud eos studium novitatis, traditionis contemptus, illecebrae libertatis et laudis ab iis quos tanti faciebant acatholicis : hinc Modernismus.

Excusso Modernismo, non sequitur rejectas esse tendentias eas scientificas de quibus dictum est ; immo contrarium saepe asseruerunt ii qui in Ecclesia potestatem habent. Et quanquam concedi potest hic etiam intercessisse aliquando et partium studia, et usum Encyclicae *Pascendi* in fines ab ipsa Encyclica alienos : quinimmo concedi potest aliquam ad tempus ex necessitate propulsandi periculi et cavendi ab insidiis creatam esse difficultatem legitimae aut inquirendi aut disputandi

vel pronuntiandi libertati : evidens tamen est omni catholico, rerum earum non ignaro, non in ipsius scientiae detrimentum, sed potius in ejus bonum rem esse cessuram. Quare succedit paulatim post commotionem securitas et fiducia : campus patet immensus methodicae inquisitioni, progressui scientifico ; magis in dies elucet necessariam fuisse mali grassantis amputationem, et dolorem de iis qui naufragium fecerunt compensat prospectus utilitatis quae inde et jam consecuta est et postea consequetur.

CAPUT II

DE APOLOGETICAE RATIONE ET METHODO

De ea re duo sunt quae tangamus : de apologeticae natura et objecto, de apologeticae methodo. Quae tribus articulis absolvemus breviter, quorum tertius erit priorum quasi summa et relectio.

ARTICULUS I

De apologeticae natura et objecto.

Vel inter vel praeter eos qui n. 7 indicati sunt, hic speciali mentione digni sunt : Gardeil, *La crédibilité et l'apologétique*, 1912 ; Cloud, *L'apologétique chrétienne*, 1903; Le Bachelet et Maisonneuve locis citatis; A. de Poulpiquet, *L'objet intégral de l'Apologétique*, 1912; V. Dechamps (postea Cardinalis), *Lettres théologiques sur la démonstration de la foi*, 1861. Kihn, *Encyklopaedie und Methodologie der Theologie*, § 53; inter tractatores, Hettinger, Ottiger, Tanquerey, Weber, Guiberlet, Stöckl. Nuper H. Pinard, *L'Apologétique, ses problèmes, sa définition*, 1913.

21. **De nomine et re**. — Demonstratio christiana, de qua dictum est n. 1, nomine *apologeticae* saepe significatur. Interest autem inter *apologiam* et *apologeticam*, sed propriam discriminis rationem definire non est ita facile. Porro hoc dici potest. Est *apologia* defensio aliqua religionis Christianae, vel alicujus dogmatis; est *apologetica* scientia et systema hujus defensionis vel demonstrationis. Importat ergo apologetica aliquid magis theoreticum ac magis generale; non modo demonstrat, vel defendit exercite, sed principia demonstrationis ac defensionis tradit. Multae sunt apologiae, una est aliquo modo apologetica; potest apologia spectare aliquod dogma

singulare, et, si omnia puncta tangit, ea tangit ut singula, cum contra apologetica totum systema christianum directe spectet, et, si singularia puncta aliquando tangit, ea tangat ut partem hujus systematis et in ordine ad totum systema; unde fit ut etiam quaestiones de methodo ad eam pertineant. Multae porro fuerunt apologiae ante apologeticam, sicut aliquo modo fuit eloquentia ante rhetoricam. Cf. Maisonneuve, 1512; Kihn, n. 428. Hic sumitur apologetica pro theologia fundamentali, vel pro tractatu de vera religione, qui quomodo sit theologicus jam dictum est, n. 2.

22. **Apologeticae munus et definitio.** — Duplex est apologeticae munus, ut jam dictum est : positivum, quatenus statuit motiva credibilitatis et demonstrat rationabilem esse fidem nostram (constructiva); negativum, quatenus repellit impugnationes (defensiva), atque hoc munus defensionis exprimit potissimum nomen apologeticae. Unde etiam factum est ut theologiae proprie dictae pars ea dicatur apologetica qua solvuntur objecta contra aliquod dogma[1].

Definiri ergo potest apologetica ea pars theologiae quae scientifice tractat demonstrationem ac defensionem (vel, idque melius uno verbo, credibilitatem) fidei catholicae. Quod quo sensu sit intelligendum jam dictum est, n. 1, et magis postea apparebit. Nunc sufficit vindicare apologeticae nomen *scientiae;* atque hoc ipsum cum satis elucet ex dictis n. 1 et n. 2, tum postea magis patebit.

23. **De habitu apologeticae ad fidem.** — Apologetica se habet ad fidem extrinsece quidem (non sunt enim ejusdem ordinis) sed ut praeambula et quodammodo inductiva. Fides enim Christiana non est « motus animi caecus », ut habet Vaticanum; atque ex hoc uno capite vel repellimus eos qui nobis objiciunt quod sine ratione credamus, vel non admittimus eos qui *omnem* fidem a sola voluntate et sensu nescio quo, nullo modo a rationis motivo sufficienti repetunt, secundum placita

1. Alii apologeticam maxime in *irenicam* et *polemicam* dividunt; sed haec divisio spectat potius processum apologeticum quam munus apologeticae proprie dictum.

kantiana (multa in ea re testimonia vide apud Maisonneuve, *l. c.* 1516); fides enim oportet sit prudens et rationalis, et proinde exigit motiva credibilitatis quae rationi satisfaciant, idque non solum probabiliter sed certo. Fides non his motivis ipsa quidem innititur, sed sola judicia fidei praeambula credibilitatis et credentitatis quae dicuntur. Quae judicia non dant evidentiam mysteriorum intrinsecam et particularem, sed extrinsecam et sub communi ratione credibilis et credendi. Ad quae consequitur mediante voluntate libera assensus fidei. Quod quomodo fiat non est hujus loci inquirere [1].

Porro ad haec judicia efformanda locum habere potest aut debet et voluntas et fides humana, quin etiam gratia Dei, sed quae juvent ad inquirendum et ad perspiciendas rationes credendi, non ad supplendum id quod in rationibus deficeret [2].

Atque hinc apparet quo sensu sit aut non sit scientificus et criticus assensus fidei nostrae; item quo sensu sit intelligendus versiculus ille, de quo his annis multum est disputatum :

La raison dans mes vers conduit l'homme à la foi [3].

24. **De duplici apologeticae adspectu, secundum scientiae et secundum artis rationem.** — Apologetica non *scientiae* modo, sed etiam *artis* rationem habet, ut scilicet logica, rhetorica, ethica, quatenus non modo speculative motiva credendi tradit et considerat, sed etiam practice adjuvat ut aliquem vel confirmes in fide, vel ad fidem inducas. Atque scopus is practicus cum in ipsam apologeticam aliquo modo influere potest, tum multum in usum apologeticae. Sic enim

1. Nos plura de ea re dedimus in libro *La foi et l'acte de foi*, qui totus est de iis rebus.

2. Id hoc loco velim pingui Minerva intelligatur, prout omnes catholici intelligunt, et definit Vaticanum, « firmissimo niti fundamento (et eo quidem intellectuali) fidem quam profitemur », praescindendo a subtiliore controversia utrum et quo sensu admitti possint ea supplementa credibilitatis motiva quae tantas partes habent in libro R. P. Gardeil, *La crédibilité et l'apologétique*.

3. Praeter J. V. Bainvel, *La foi et l'acte de foi*, videsis Maisonneuve, *l. c.*; abbé de Broglie, *Les conditions modernes de l'accord entre la foi et la raison*, quae sunt praelectiones datae in Instituto catholico Parisiensi, anno 1895, editae ab A. Largent, 1903, maxime 1re et 2e conférence. Breviter et dilucide Vaticanum, constitutione *Dei Filius*, c. III. Supra, 9, *e*.

non solum objective et in abstracto principia traduntur demonstrationis ac defensionis christianae, sed etiam ratio habenda est quomodo aliquem adeas et cum eo communices, quid pro dato possit haberi, quid nondum detur, unde sit incipiendum, quomodo sit disponendus animus ut velit audire et inquirere, quomodo sit praeparanda mens et inducenda ut vim rationum perspiciat atque objectiones vel solvat vel negligat, quibus potissimum argumentis sit utendum cum alia aliis sint aptiora, et quomodo ea sint proponenda cum in hoc etiam sit diversitas.

Nos, etsi apologeticam hic ut scientiam potius quam ut artem tractamus, rationem artis non possumus omnino negligere.

25. **De vario apologeticae scopo et varia procedendi ratione.** — Eodem fere recidunt eae differentiae quae scopum apologeticae spectant, prout vult aliquis vel theoriam et quasi crisim scientificam suae fidei instituere, vel aliquem aut in fide confirmare aut ad fidem inducere rationes praebendo et difficultates solvendo. Nos illud potius, ex dictis, quam hoc directe spectamus. Atque hinc etiam fit ut intellectum appellemus potius quam voluntatem hortemur, ea quae sunt intellectualia proponamus magis quam moralia, rationes potius quam consilia practica. Quanquam suas esse partes in ea re et bonae voluntatis et actionis et orationis ac gratiae, easque non secundas, putamus, idque etiam ut *videas*. Deinde, rationes credendi ex ordine morali desumptas nullo modo volumus negligere, quippe quae sint et ipsae intellectuales; ut omittam ipsum actum fidei esse a voluntate, prout ipsa nata est movere intellectum, ac proinde actum hunc voluntati proponendum esse ut aliquid appetibile (bonum) ut ipsa ad eum moveat intellectum ut ad suum appetibile (verum).

26. **De objecto, ambitu, condicionibus apologeticae.** — Apologetica per se et directe respicit credibilitatem fidei nostrae, vel demonstrationem christianam aut catholicam, sed indirecte tangit veritates quasdam ordinis rationalis sine quibus ipsa christiana demonstratio vix aut ne vix quidem stare possit. Hujusmodi sunt : vis rationis ad cognoscendum verum, in ordine etiam metaphysico, morali, historico; Dei

existentia et aliqualis cognoscibilitas, etc.; animae libertas, immortalitas, et si quid aliud est necessarium ad instaurandam demonstrationem christianam. Qua in re haec adverte :

a) Non omnis error philosophicus per se et immediate redundat in judicia credibilitatis aut in assensum fidei : vel, si redundat, potest certe non ita redundare ut haec judicia corrumpat, sive id locum habet ex natura rei, sive ex debilitate rationis ratiocinantis, quae vel non logice omnino conclusiones ac principia connectit, vel de eo quod recte facit non recte ratiocinatur. Non est ergo necesse ut omnem errorem aut intellectus vitium ab eo removeas cum quo agis (ut non est necesse omne vitium voluntatis primo sanare).

b) Cum sufficiat una ratio, modo ea sit efficax, ea eligenda est quae magis satisfaciat pro temporibus et personis. Atque inde est quod etsi apologetica una est et absoluta, usus tamen apologeticae varius est, mutabilis, progressivus, relativus. Unde fit ut multae sint apologiae, et ut ipsa apologetica vix spectari possit ut aliquid omnino fixum ac perfectum. Sed sunt puncta quaedam fixa.

c) Si id quod conceditur ab eo quocum agimus, secundum principia recta conceditur, argumentum valet absolute et objective : sin minus, argumentum non valebit nisi ad hominem, poterit tamen aliquando motivum sufficiens praebere judicio credibilitatis, non quidem ut argumentum, sed ut recte assumptum.

THESIS I

1) **Assensus fidei, etsi non datur propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem Dei revelantis, non est tamen motus animi caecus, sed valde rationalis, cum habeat motivum intrinsecum Dei auctoritatem, et extrinseca motiva credibilitatis rationi perspicua.**

2) **Apologetica vero, cujus est haec motiva systematice et critice inquirere, expendere, ordinare, proponere, rationem habet verae scientiae.**

3) **Cujus terminus proportionatus et conclusio non est ipse assensus fidei, sed fidei credibilitas, vel judicia praeambula quibus appareat rationalitas et moralis necessitas credendi.**

4) **Neque officit huic scientiae quod ne ad haec quidem judicia cogere intellectum vel potest vel conatur.**

NOTIONES PRAEVIAE

27. *De vi et ratione hujus thesis, cum indicatione bibliographica.* Haec thesis tota, ut ita dicam, rationalis est, et ejusmodi res complectitur quae in hoc argumento obviae sunt, ac proinde non tam probatione indigent quam enuntiatione aut aliquali declaratione, quam declarationem fere jam dedimus numeris superioribus. Nihil enim est ipsa thesis nisi vel summa earum rerum quas indicavimus cum in praeambulis tum modo initio hujus capitis, vel formula condicionum in quibus versatur apologetica, hinc respectu fidei, inde respectu rationis.

Porro cum aliqui recentiores ita procedant in analysi fidei ut negent, vel certe negare videantur, dari judicia haec credibilitatis praeambula ab ipso actu fidei realiter distincta, cavendum est ne quid inde detrimenti capiat haec nostra thesis et tota apologeticae ratio perturbetur, quae huc maxime vires

intendit ut ex iis judiciis praeambulis rite stabilitis fidem esse et rationabilem et debitam commonstret. Nam utut negetur vel realis distinctio vel separabilitas horum judiciorum a judicio fidei, admittendum certe est aliquid in fidei processu quod his judiciis aequivaleat et motiva credibilitatis suppeditet. Quod sufficit ad hanc thesim et ad confirmandum processum apologeticum.

Atque id porro eodem modo intelligi debet independenter a quaestione de interventu et munere gratiae in processu credibilitatis, quae non est hujus loci.

Praecipui libri jam indicati sunt initio hujus capitis; addi possunt libri ubi agitur de praeambulis fidei, inter quos liceat, ut magis obvium, nominare J. V. Bainvel, *La foi et l'acte de foi,* 2e édition, 1908.

EXPLICANDO PROBATUR

28. 1. *Rationalem esse fidei assensum* vel ex ipsa enuntiatione patet. Et primum quidem, credere est conjungi scientis scientiae: sed *non parva est scientia,* ut dicit Augustinus, *scienti conjungi.* Credere est ergo modus quidam cognoscendi, et quidem valde humanus, cum, ut dicit Aristoteles, oporteat addiscentem credere. Deinde, esse rationabilem hunc cognoscendi modum, etiam evidens est. Nam rationabile est in iis quae ipse nescias dignae auctoritati fidem habere. Atqui ita est in fide catholica, cum divina auctoritas sit fide digna, et cum intervenire in casu divinam auctoritatem ratio demonstret.

2. Quod apologetica *rationem habeat scientiae* duplici consideratione ostenditur, cujus veritas in decursu tractationis apparebit: *a*) Res de qua agitur est objectum scientiae (facta historica, eorum relatio ad suas causas, etc.). *b*) Modus tractandi est vere scientificus, criticus, ex principiis rationis. Ergo neque officit quod non una hic scientia appelletur, sed multae. Fit enim fere ut aliqua scientia diversis scientiarum variarum elementis utatur ad synthesim superiorem, secundum objectum formale unum. Porro hic unum est objectum formale, credibilitas fidei nostrae.

3. Quod *conclusio non sit fides sed credibilitas,* item perspi-

cuum est. Nam : *a)* assensus fidei est assensus supernaturalis, propter auctoritatem Dei, non humanae ratiocinationis aut motivorum credibilitatis effectus. *b)* Haec judicia sunt sufficienter fundata (ut apparebit ex demonstratione). Atqui haec judicia sunt de prudentia assensus et de obligatione credendi.

4. *Nihil esse contra rationem scientiae libertatem assensus*, hinc patet quod : *a)* Idem cum in ceteris scientiis, tum praesertim in historicis obtinet. *b)* Id sequitur ex natura rei et ex processu demonstrationis, non ex insufficientia objectiva motivorum.

SCHOLIA

29. 1. Haec breviter, ut quae satis perspicua sint ex dictis. Eadem habemus cum ex aliis fidei documentis, tum praesertim ex Vaticano, *l. c.* c. 3, ex quo facile est totam thesim colligere. Quem locum hic habes, n. 9, *e.*

2. Ex eo quod vindicamus apologeticae rationem *scientiae*, non sequitur non habere rationem *artis*. Immo contrarium jam diximus.

3. Thesis non stat tota et absolute nisi valida sunt motiva credibilitatis et demonstratio quam daturi sumus ; valet partim, hypothetice et relative, ex eo quod catholici ita esse profitentur, et damnant eos qui vel fidem caecam, vel assensum mere probabilem, vel logicam et necessariam connexionem fidei cum praemissis rationis propugnant.

4. Haec stant, ut dictum est, citra omnem controversiam de analysi actus fidei et condicionibus credibilitatis.

ARTICULUS II

De apologeticae methodo.

30. **Historica.** — His fere viginti annis exarsit controversia de methodo apologeticae. Antea aliqui jam nostro saeculo methodum tractandi de vera religione qualem exhibebant libri theologici, vel tractationes quaedam speciales, ut erat *Demon-*

stratio evangelica a Duvoisin conscripta, et quidem alii aliter, reprehenderant. Sic nomine fideismi Bautain, et jam aliquo modo Lamennais cum Mennaisianis quibusdam. Sic nomine rationalismi cujusdam dialectici Hermes et Hermesiani, qui quasi cogere ad fidem per rationem volebant, et logicam suam demonstrationem fidei vel mysteriorum apologeticae credibilitatis demonstrationi substituere. Alii contra pro rationibus credendi nescio quem credulitatis sensum et experientiam quamdam mysticam inducebant. Qui omnes plus minus expresse cum ceteris Sanctae Sedis decretis tum maxime decretis Vaticanis sunt reprobati.

Ab his distinguendi sunt omnino ii qui veterem methodum renovare tentarunt vel ad eam praeparare, vel eam complere aliquo modo per novas considerationes : ut Chateaubriand, ut Joseph de Maistre, ut Lamennais in primo volumine de indifferentia religiosa, ut Lacordaire, ut Dechamps, ut Ollé-Laprune, ut P. de Broglie, ut alii ; distinguendi etiam aliqui qui, etsi fortasse quaedam minus recte dixerunt, quin etiam vim veteris apologeticae aliquando extenuarunt, non ab ea tamen recesserunt, ut Gratry, ut Nicolas, ut etiam Bougaud : de quibus erit postea sermo.

Quaestionem apologeticam movit maxime M. Blondel sua illa epistola de philosophicis apologeticae exigentiis, in qua videbatur — etsi fortasse non ea erat ejus intentio — veterem apologeticam a fundamentis convellere, et ei novam aliam substituere, qualem fere ipse nuper in suo libro de actione elaborarat. Hinc magnus animorum motus et innumera opusculorum, articulorum, epistolarum copia pro vetere apologetica vel contra eam, pro nova immanentiae — sic enim vocata est — methodo vel contra eam. Neque nullus omnino fuit eorum laborum fructus, cum ex eo quod inde magis eluxit quale esset quaestionis apologeticae momentum, tum ex eo quod non paucae vel obscuritates et confusiones sententiarum vel difficultates discussae sunt, mentesque in novos quosdam apologeticae quaestionis adspectus conversae sunt, in veteres etiam acutius et studiosius intentae, donec Encyclica *Pascendi* non omnia solvit illa quidem, sed, quaedam denuo sanciendo, solutionem promovit et adjuvit.

Apud Protestantes, etiam inter eos qui orthodoxi vocantur, multi apologeticae veteri per criteria externa miraculorum et prophetiarum valedixerunt, ut, duce maxime Vinet, solam experientiam internam ex vita christiana appellent. Cf. G. Frommel, *La vérité humaine. Un cours d'apologétique*, I, Saint-Blaise, 1910. *Introduction*, c. III, § 5, p. 55 sq.; c. IV, p. 63-81.

31. **Bibliographica**[1]. — Le Bachelet, art. *Apologétique* in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès, multa indicat, maxime col. 251, sed ita tamen ut plurima de recentiore controversia remittat ad articulum *Immanence;* idem, *De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne*, 1897, et doctrinalia disputat et bibliographica indicat quae tum praesto erant. Multa item dat Maisonneuve, art. *Apologétique*, in *Dictionnaire de théologie catholique,* maxime col. 1573 sq. Porro nos hic non tractamus de variis generibus apologeticae, qualia floruerunt multa vel nostro saeculo, sed de theoriis circa apologeticam et de controversiis quae de ea re exortae sunt. Porro sic definita quaestione possumus indicare maxime :

Ante controversiam quam Blondellianam liceat vocare, ea quae occasione libri, *Le génie du christianisme*, vel contra librum scripta sunt, maxime ab abbate Morellet, vel pro libri defensione ab ipso Chateaubriand, quae fere dant editiones in Appendice ad eum librum; — quae habet Lacordaire, *Conférences,* Préface; item, 37ᵉ *Conférence* (1846), initio; item, *Dernière Conférence* (1851), ubi exponit quid ipse fecerit et cur ita egerit; — quae habet Dechamps passim de sua methodo vel eam exercite proponendo vel eam exponendo aut vindicando : *Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation chrétienne,* 1857, maxime 1ᵉʳ *Entretien.* Item, *Préface de cette quatrième édition,* Malines, 1874; *La question religieuse résolue par les faits, ou De la certitude en matière de religion,* 1860; maxime in epistola praefatoria ad P. Gratry, et in nota 2ª et 3ª; *Lettres philosophiques et théologiques sur la démonstration de la foi*, 1861, maxime, lettre du

1. Liceat rursus legentem remittere ad ea quae initio § 7 dicta sunt in nota.

29 avril 1858, à l'*Ami de la Religion;* lettre, au prince de Broglie, *Sur les diverses méthodes de la démonstration de la foi;* — quae dicit Bougaud (iniquius tamen is in Scholasticos) de methodo interna et morali, *Le christianisme et les temps présents.* Introduction: — quae habet F. Lenoir. *De la théologie au XIX^e^ siècle,* 1893, c. 3 et 4; cf. Bellamy, *La théologie catholique au XIX^e^ siècle,* 2^e^ partie, c. 9; — Brugère, *De Vera Religione,* Praefatio; item alii tractatores in suis praefationibus vel introductionibus; quibus adjungi possunt apologetae jam laudati, ut Hettinger, Schanz, Jaugey, *Dictionnaire apologétique,* Préface, etc.; abbé de Broglie. *Les progrès de l'apologétique,* Extrait des *Annales de philosophie chrétienne,* 1886; cf. Piat in Praefatione ad abbé de Broglie. *Religion et critique.*

Missis nunc iis quae apologeticam aut quasi apologeticam Ollé-Laprune, Joergensen, Brunetière, Balfour, spectant, ad ea devenimus quae de vetere apologetica et de ea vel supplenda vel complenda per novam apologeticam, quae immanentiae dicta est, plus minus sub influxu M. Blondel et secundum normam ab eo indicatam, disputata sunt inde ab anno fere 1896.

Praeiverat nempe egregia thesis M. Blondel, *L'Action,* quae est quasi apologia quaedam philosophica, eadem linea insistens aliquo modo quam indicaverat Ollé-Laprune, sed ulterius progrediens et viam novam aperiens. Porro paulo post ad *Annales de philosophie chrétienne* data est ab eodem post breviorem epistolam, longioris praenuntiam, nov. 1895, longa dissertatio inscripta *Lettre sur les exigences de la pensée contemporaine en matière d'apologétique et sur la méthode de la philosophie dans l'étude du problème religieux,* janvier-juillet 1896, in qua et dure tractabatur vetus apologetica, nulla ratione habita vel theologicae traditionis vel maxime auctoritatis ecclesiasticae qua eam aliquatenus in Concilio Vaticano canonizaverat, et indicabatur ut ei substituenda - - nondum enim inducebatur notio de complemento — philosophica quaedam apologetica quae, ut ab hominis consideratione proficiscebatur, ita non in abstracto tota versaretur, sed ad homines dirigeretur, et esset secundum praesentis phi-

losophiae methodum (immanentiae scilicet) ac praescripta. Hinc concursus ad arma. Prodiere in aciem theologi, non tam ut novam apologeticam impugnarent quam ut veterem defenderent; prodiere alii, maxime juvenes aliqui clerici, qui plus de nova philosophia hauserant quam de theologia, qui ducibus fere laicis et veterem apologeticam explodebant et novam vel apologeticam vel philosophiam, ut intelligebant, propugnabant. Indicari haec possunt, inter multa :

In sensum veteri apologeticae oppositum : A. Lamy, *A propos d'apologétique contemporaine,* Sillon, déc. 1896; D. Hesse (pseudonymum ex littera nominis initiali,S.), *La position du problème apologétique,* Sillon, juillet-août 1892 : cf. quae, ibidem magis sobrie scripsit Barth. Raynaud, *Philosophie et religion,* février 1897 ; — Ch. Denis, *Esquisse d'une apologie philosophique du christianisme*, 1898 (ex *Annales de philosophie chrétienne*) ; — Laberthonnière, *Le problème religieux,* ibid., février-mars 1897 ; *Le dogmatisme moral,* 1898 ; *Pour le dogmatisme moral*, 1900 ; *L'apologétique et la méthode de Pascal,* in *Revue du clergé français*, 1er février 1901 ; — C. Mano, *Le problème apologétique,* 1899 (Sc. et Rel.) qui inclinat magis ad conciliationem. — Item quaedam habet dura contra veterem apologeticam G. Fonsegrive, in illa lectione quae Issy ad seminaristas est habita, 1895, de condicionibus hodiernae apologeticae, et inserta est initio libri, *Le catholicisme et la vie de l'esprit,* 1898, quo in libro non pauca sunt de eadem re, sed ea magis tolerabilia, immo quaedam valde bona. Intervenit etiam pro immanentia et contra theologos G. Tyrrell, tum catholicus, idque non semel, cujus lucubrationes de ea re collectae fere sunt in libro *Faith of the millions*, de quo Dimnet in *Revue du clergé français,* 15 juin 1902.

Contra Blondel pro vetere apologetica intervenerunt : Schwalm, in *Revue thomiste*, 1896 et 1897 ; Gayraud, in *Annales de philosophie chrétienne,* déc. 1896 et janvier 1897, *Une nouvelle apologétique;* idem in *Revue du clergé français,* 1er oct. 1900, t. XXIV, p. 22 sq., *L'apologétique nouvelle;* 15 mars 1902, t. XXX, p. 113, *Le problème de la certitude religieuse;* 1er déc. 1902, t. XXXIII, p. 95, *L'argument des néo-apologistes;* vide ejusdem, *La crise de la foi*, 1901 ; Le Bachelet, libro

jam laudato; G. de Pascal, *Le problème de la certitude et l'apologétique,* in *Quinzaine,* février 1898; cf. ejusdem, *Le christianisme. Exposé apologétique. La vérité de la religion,* 1903; Chr. Pesch, *Alte und neue Apologetik,* in *Theologische Zeitfragen,* 1900, p. 70-114; Lahousse, *De vera religione,* 1897. In *Revue du clergé français,* multa de ea re, ut plurimum conciliativa vel explicativa sensus Blondelliani : 15 mai 1897 (Bricout); 15 février 1902 (Blondel ; 15 août 1901 (Mallet, *Un entretien avec M. Blondel* : 1er sept. 1902 (Mallet, pro Blondel, *D'où naissent quelques malentendus persistants en apologétique*)[1]; ibidem non pauca Dubois, idque non semel, in sensum conciliativum, v. g. *La crise récente de l'apologétique,* 15 juin 1904, qui jam sobrie et prudenter de his rebus disseruerat in *Science catholique,* mars 1897, *A propos d'apologétique;* juin 1897, *La méthode d'immanence en apologétique.*

Eadem fere controversia, alia occasione, renovata est per articulum M. Blondel datum in *Quinzaine,* 16 janv. 1904 sq., *Histoire et dogme* (Extrinsécisme et Historicisme) in quo oblique quidem, sed tamen, dum carpuntur « extrinsecistae », attingitur genus apologeticae quod est a Concilio Vaticano sancitum; qua in controversia rursus intervenit Gayraud, *Revue du clergé français,* 15 mai 1904, t. XXXVIII, p. 580, *L'extrinsécisme,* contra Mallet, *Un nouvel entretien avec M. Blondel,* 15 avril 1904 et 1er mai 1904, *ibid.,* t. XXXVIII, cf. 15 mai 1904, p. 661-662; de qua controversia cf. B. Allo, in *Revue thomiste,* sept.-oct. 1904, *Extrinsécisme et Historicisme;* vide ejusdem librum *Foi et systèmes,* 1908, c. 3.

Porro nuper prodierunt duae Blondelliani systematis expositiones, altera ab Aug. Valensin in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès, art. *Immanence. Méthode d'*, altera a J. de Tonquédec in libro cui titulus est : *Immanence. Essai critique sur la doctrine de M. Blondel,* 1913; utraque egregia, etsi non parum ab altera diversa. Haec enim, litterae magis

1. Omittimus, ut nimis polemica, quae scripsit Gayraud contra Mallet, 1er déc. 1900, et quae respondit Mallet, 15 déc. 1902, etsi in iis revocantur quaedam scitu non inutilia. Partim polemica, sed partim constructiva sunt ea quae cum alias tum nuper dedit Bernard de Sailly, *Comment réaliser l'Apologétique intégrale : Thèses de rechange? ou Points d'accord?* 1913.

inhaerens, et doctrinam, prout ex textibus cognoscitur, cum critica diligentia examinans inducit ad concludendum, etsi multa sint cum in libro *L'Action* tum in *Epistola* egregia, multa tamen non cohaerere cum sana theologia; explicationes autem quae postea allatae sunt aut non cohaerere cum libro et epistola aut ipsas non recte sonare. Altera liberior et non tam quid aut quomodo dixerit auctor quam quid vel significaverit, vel significare intenderit, inquirens, et quae non recte ad aures theologicas sonant aut omittens aut in meliorem sensum interpretans, posse esse utilem, immo esse necessariam, hanc apologeticae liminaris methodum concludit. Quod autem M. Blondel suam sententiam in expositione Aug. Valensin dicitur agnovisse utrique laudi est; quod autem secus de interpretatione J. de Tonquédec ostendit se sentire, huic verti vitio non potest[1]. Remanet quod ex utraque expositione apparet quid ex Blondelliano systemate teneri possit. Accedit quod in utroque loco amplae adsunt indicationes bibliographicae.

Etsi post exortam controversiam Blondellianam scripserunt, non tamen toti sunt in controversia, sed magis positive quam polemice procedunt : Hogan, *Les études ecclésiastiques,* 1901, c. 4; Frémont, *La religion catholique peut-elle être une science?* 1899; Mgr Mignot, *L'apologétique contemporaine,* Albi, 1900; vide ejusdem *Lettres sur les études ecclésiastiques*, 1908; Mgr Douais, *L'apologétique* (Lettre pastorale, 1909); Cloud, libro laudato (nihil de quaestione Blondelliana); Hugueny, libri laudato, c. 13; Gardeil, libro laudato; Tanquerey, libro laudato, maxime a n. 81; J. V. Bainvel, *Nature et surnaturel,* c. 10; cf. ejusdem, *Le problème apologétique* (hic in Appendice). A. de Poulpiquet, *L'objet intégral de l'Apologétique,* 1912. Multa etiam sunt ad rem nostram utilia in libro R. P. H. Petitot, O. P., *Pascal, sa vie religieuse et son apologie du*

1. Ipse M. Blondel, in epistola die 20 junii 1913 data, profitetur nolle se pertinaciter omnia defendere quae in eo libro scripsisset, immo multa in eo esse mutanda, non omnia dici quae essent dicenda, quaedam aequivoca fortasse esse, eique quasi novum librum esse substituendum, sed rectam fuisse suam intentionem, et eos qui librum in sensum orthodoxum sint interpretati, suae intentioni et conatui respondere. *Revue du clergé français*, 15 juillet 1913, t. 75, p. 246.

christianisme, 1911. Qui plura quaerit, adeat Maisonneuve. Le Bachelet, Ligeard, libris vel articulis jam laudatis. Ad thesim construendam multum faciunt et Concilii Vaticani constitutio *De fide*, et Decretum *Lamentabili*, et Encyclica *Pascendi*, locis superius datis.

32. **Distinctio et varietas in re apologetica**. — Distingui aliquo modo potest methodus apologetica, spectata scilicet secundum essentialia, a methodis apologeticis, in quibus scilicet spectantur maxime varietates accidentales. Porro in ea re cum longum sit et parum, ut videtur, utile omnia definire et ad logicae normas reducere, practice sufficit duo apologeticae genera, essentialiter diversa, distinguere, alterum ab extrinsecis, alterum ab intrinsecis, quatenus spectatur credibilitas doctrinae christianae vel independenter a condicionibus subjecti vel secus. Atque hinc exsurgit apologetica vel objectiva quae dicitur vel subjectiva : non quod illa de subjecto non curet, haec de solo subjecto curet; sed haec a subjecto ad objectum, illa ab objecto ad subjectum magis devenit. Porro in his duobus generibus multae iterum species aut varietates considerari possunt, prout v. g. in objectiva spectatur tantum hoc quod haec doctrina, ut a Deo, accipi debet, qualiscumque sit, vel ipsa in se spectatur, ut pulchra, ut conveniens, etc., unde fiat ut et facilius perspiciatur esse a Deo, et facilius accipiatur; item in subjectiva, alia est consideratio convenientiae ad subjectum, alia exigentiae ex natura subjecti vel ex ejus actione; et rursus alia est exigentia *logica* ad explicandum id quod est, alia exigentia *ontologica* ad habendum id quod deest.

Quae considerationes, quantumvis in abstracto differant, tamen in apologetica concreta multipliciter inter se tangunt, nec separari vel possunt vel debent, sed inter se conjungi et continuari. Nam ut quis ad inquirendum utrum haec religio a Deo sit inducatur, proponantur ei oportet motiva quae aliquid habeant subjectivum, ut est utilitas vel necessitas ad bene beateque vivendum; item aliquis maxime in inquisitione juvatur per intrinsecam doctrinae considerationem, quatenus si quid occurrit in doctrina quod sit evidenter absur-

dum vel impium, statim apparet non esse a Deo; sin autem omnia pulchra, omnia consona rationi, omnia simul et naturae humanae convenientia, et, ut divinum decet, supra hanc naturam, inde juvatur inquisitio et facilius perspicitur veritas.

Atque hinc enascitur plenitudo apologeticae quae nullam ex his considerationibus negligat, secundum verba Pascal toties repetita, omnibus nota : « Les hommes ont mépris pour la religion; ils en ont haine et peur qu'elle soit vraie. Pour guérir cela, il faut montrer que la religion n'est point contraire à la raison; vénérable, en donner le respect (parce qu'elle a bien connu l'homme); la rendre ensuite aimable (parce qu'elle promet le vrai bien); faire souhaiter aux bons qu'elle fût vraie; et puis montrer qu'elle est vraie. » Quanquam haec ipsa verba non possunt spectari ut definitio muneris apologetici absoluta. Nam hic supponitur homo qui nec credat veritati christianae et ab ea potius abhorreat. Porro aliud potest esse suppositum atque initium apologeticae, et quidem scientificae, ut si quis fidelis velit fidem suam confirmare et clarius perspicere certissimo niti fundamento fidem quam profitetur. Item alius erit processus prout spectatur apologetica ut ars inducendi incredulum ad fidem vel ut scientia credibilitatis. Atque hinc apparet quam varius possit vel debeat esse processus apologeticus.

Porro hujus varietatis conspectum aliquem dabimus capite sequenti. Hic inquirendum potius est de absolutis condicionibus omnis processus apologetici. Qua de re antequam statuitur thesis, quaedam sunt diligenter animadvertenda de ipsa quaestione, quae dicitur, apologetica, quae etsi partim dicta sunt, clarius sunt efferenda.

33. **De quaestione apologetica.** — Una debet esse, ut omnis scientia, sic etiam, ut videtur, scientia apologetica. Sed de facto multae fuerunt aliqua ex parte et sunt et erunt vel apologiae, vel etiam methodi apologeticae, pro temporibus scilicet et locis, item prout varia spectantur capita rationum, quae inducere ad religionem christianam possint. Alia enim sunt argumenta ordinis historici, alia ordinis moralis aut aesthetici, alia ordinis psychologici vel biologici, alia interna quae di-

cuntur, alia externa, etc. Porro statim intervenit quaestio quid quae methodus valeat, num aliquid sit fixum in ea re, an omnia sint pro temporibus et circumstantiis rerum ac personarum mutabilia. Et primum, certum est apologeticam, prout est ars quaedam, progressivam esse debere et in ratione tractandi, in usu scientiae ac philosophiae, etc., pro temporibus, locis, etc., accommodabilem. Idem de scientia dici aliquo modo debet, cum ipsum dogma, ipsumque institutum ecclesiasticum, ac multo magis theologia evolvatur.

Sed quaestio est num *ipsa* quam tradunt theologi in suis tractatibus et qua utuntur, accommodando scilicet, contionatores, apologetica valeat ac sufficiat, an alia sit ei substituenda, vel certe ei adjungenda ut pars necessaria et complementum. Res in concreto haec est: Estne apologetica subjectiva vel immanentiae, quae dicitur, vel ipsa, sine alterius auxilio, sufficiens, vel certe necessaria, a qua systema apologeticae objectivae, quae dicitur, habeat *reale* fundamentum ac contactum cum *rebus* ipsis, aut saltem contactum cum homine reali, qui recipiat et suam faciat apologeticam hanc objectivam et abstractam (Blondel, Laberthonnière, etc.)? Aliis verbis, idque planius: Huc redit quaestio num, etiam dato quod valeant, si rite perspiciantur, veteris apologeticae argumenta, tamen ad ea ita perspicienda ut valeant, requiratur processus ille immanentiae vi cujus praeparentur oculi et mens fiantque apti ad videndum.

Cum qua quaestione alia connectitur (nisi quis eamdem esse mavult), num apologetica *intellectualis*, quae dicitur, valeat ac sufficiat, an suus sit locus in apologetica elemento alicui quod alii irrationale dicunt et ad sensum quemdam moralem vel socialem reducunt, alii ab actione repetunt: quorum priores rem religiosam rationis esse practicae (sensu kantiano) volunt, alteri transcendere se kantianum idealismum actionis theoria putant, et ita ordinem idealem cum reali continuare. Illinc stant Balfour, Brunetière; hinc ut supra Blondel, Laberthonnière. Atque inde pendet, vel eodem recidit, utrum rationibus metaphysicis ac factis historice probatis possit ac debeat fieri demonstratio christiana, an *demonstratio* proprie dicta vel nulla esse possit, vel non possit esse historica, nisi aliunde vis ipsi accedat historiae, ut iidem opinantur.

Huc denique ea quoque refertur quaestio utrum natura concrete spectata vel actio aliquo modo appetat vel postulet (*quasi* logice) vel exigat supernaturale, ita ut hoc non omnino extrinsecus accedat et naturae sese imponat, ut aliquid scilicet heteronomum, an contra supernaturale totum sit extrinsecus, ut perfectio naturae id quidem, sed ut perfectio ordinis plane alterius, quam natura nec requirat nec appetat, ita ut ad autonomiam naturalem non pertineat.

Hic autem non est cur afferantur ii qui quasi media via incedunt, cum aliquid dent apologeticae subjectivae vel immanentiae, sed ita ut praeparetur locus apologeticae veteri, quam ipsi non rejiciunt, immo efficacem esse ipsam concedunt, sed parum valere apud multos dicunt, utpote quam theologi nec temporum exigentiae, nec mentium infirmitati attemperent; attemperant vero ipsi vel certe attemperare se existimant, congruentiam religionis chistianae cum natura humana vel individua vel sociali, cum legibus biologicis, cum subjecti humani exigentiis demonstrando (Ollé-Laprune, Fonsegrive).

Sed nominandus est Pascal, ut immanentiae antesignanus; nominandus Newman, qui rationum complementum ab ipsa vitae experientia repetat.

THESIS II

1) Omnis apologetica ea agnoscat oportet quae Ecclesia cum saepe alias, tum praesertim in Vaticano, vindicavit ut praeambula sine quibus fides jam non sit prudens et rationalis, cujusmodi sunt : *a*) vis rationis ad investigandum verum etiam in ordine morali ac religioso ; *b* motiva credibilitatis, quibus fiat evidens credibilitas fidei christianae ; inter quae *c*) α) miracula ac prophetiae signa sunt divinae revelationis certissima et omnium intelligentiae accommodata ; β) item fulgor ille et auctoritas Ecclesiae, α′ sive quis aliquid in ea divinum agnoscit aut transcendens, β′ sive alio modo magnam ejus auctoritatem suscipit eique se tradit discipulum ; γ) item quidquid ad admittendum factum revelationis rationabiliter inducit.

2) Servet etiam oportet et distinctionem utriusque ordinis, naturalis ac supernaturalis, et gratuitatem ac transcendentiam donorum supernaturalium.

3) Non meram congruentiam aut possibilitatem ordinis supernaturalis ac revelationis ostendat, sed vel factum vel quod eodem recidit facti necessitatem (hypotheticam scilicet) vel directe vel indirecte via rationabili adstruat.

4) Non autem bene objicitur veteri apologeticae quod nec vere philosophica sit, nec de insertione, ut dicunt, ordinis supernaturalis in natura curet, nec concrete habita ratione subjecti, sed mere in abstracto et intellectualiter procedat.

5) Quanquam verae apologeticae aliquo modo etiam est et praeparare subjectum, et condicionibus temporum sese ac personarum accommodare.

6) Ac secundum haec principia judicandum est de iis, quae multae vel datae sunt vel etiam nunc circumferuntur, methodis apologeticis.

NOTIONES PRAEVIAE

34. Horum apologeticae systematum, vel certe eorum quae magis sunt in causa, brevem conspectum inferius dabimus. Hic advertisse sufficiat haec :

1. Multa saepe affinguntur apologeticae usitatae quae non sunt ejus, ut logicam esse viam fidei totam, ut nullam esse ei curam nisi rationum abstractarum et logicae, esse mere *formalem*, nec de subjecti praeparatione aut de temporum varietatibus curare.

Ex altera parte, conqueruntur novae apologeticae patroni non recte suam sententiam a scholasticis exponi. Et revera res non caret difficultate, quin etiam nec ipsi vel inter se vel etiam aliquando secum consentiunt. Sic ex iis quidam nomen fidei vivae, gratiae, fidei implicitae, alio quam theologi sensu usurpant; sic pro supernaturali habent aliqui quidquid a causa prima est; sic suam immanentiam videntur initio apologeticae scholasticae voluisse substituere, et hanc esse omni ex parte invalidam; postea ei conjungere ut complementum quoddam.

2. Item non ita est facile dignoscere quid significet, exempli causa, Brunetière, cum dicit non demonstrari existentiam Dei, cum appellat id quod est in nobis irrationale. Sed nemo negaverit haec ab influxu kantiano esse.

3. Nemo negat plus esse in re quam in mente, et aliud esse reale, aliud objectivum, si objectivum intelligitur id quod est in cogitatione repraesentatum, reale autem vel res ut est in se, vel id quod a cogitandi actione et subjecto cogitante in cogitatione inest. Non est ergo actus fidei sola expressio rei cogitatae, sed, ut actus, est a tali agente, ab agente sub tali influxu, cum tali auxilio. Solum hoc quaeri potest utrum et quantum hac actionis consideratione juvari possit apologetica.

DECLARANDO PROBATUR

35. 1. *Quid debeat agnoscere omnis apologetica.* Quae initio et sub litteris *a*, *b*, *c* αα′ continentur cum ex dictis facile intelliguntur, tum expressis verbis in Constit. *Dei Filius*, c. 1 et 3 habentur. Habentur quoque in Encyclica *Pascendi* et in jurejurando contra Modernistas *Motu proprio* « Sacrorum Antistitum ». Vide n. 9 et 27-29.

Quae sequuntur, ex eo perspicua sunt quod sufficiens motivum credibilitatis suppeditant vel proxime vel certe remote omnia ea quae indicantur, et quod videmus iis omnibus viis perveniri

ad fidem et uti veteres. Cf. exempli causa. Augustinum *De utilitate credendi*, qui Honoratum per auctoritatem humanam Ecclesiae inducit potius quam per miracula (etsi Augustinus pro certo habet ad conciliandam Ecclesiae hanc auctoritatem multum facere vel miracula in ejus favorem patrata vel certe hoc ipsum, quod ipsa est, miraculum); atque aliquid simile narratur de Augustino Thierry, ut modo dicetur.

2. *Servanda utriusque ordinis distinctio, et supernaturalis gratuitas.* Res est evidens. Verum enim vero non contradicit, ut habet Vaticanum, post Lateranense.

3. *Ad factum revelationis esse inducendum.* Fides cum sit assensus Deo revelanti non potest abstrahere a facto revelationis; cum sit assensus prudens, certus et irrevocabilis, certitudinem de hoc facto requirit, et quidem rationabilem.

N. B. 1. Diximus *directe* vel *indirecte*. Non enim una est via: et potest, ut videtur, quasi per regressum quemdam, aliquis a motivo non sufficienti ad motivum sufficiens, accedente scilicet vel novo elemento, vel nova perceptione motivi, devenire.

N. B. 2. Diximus *necessitatem hypotheticam* : haec enim necessitas factum inducit; non potest autem esse ea necessitas nisi hypothetica, cum agatur de re supernaturali et gratuita : adesse autem et perspici posse hanc necessitatem hypotheticam postea videbimus. Interim cf. Const. *Dei Filius*, c. 2 : *Huic divinae revelationi...* Hic 9, *e*.

4. *Ad objectas difficultates.* A. « Non est vere philosophica. » Concedimus non esse *mere* philosophicam, hoc scilicet sensu quod non solis rationibus innititur, sed etiam facta appellat; sed quid in eo vituperetur non videmus. Non esse vere philosophicam tum concedemus cum ostendetur vel non dari certitudinem historicam, vel eam non posse philosophice elaborari. Quod utrumque quamvis aliqui philosophi propugnent, evincere nequeunt. Immo contrarium evincitur.

B. « Non curat de insertione ordinis supernaturalis in natura. » R. 1. Dato ita esse, hoc unum sequitur non concipi eam vel ut systema convertendi et inducendi ad fidem, vel ut explicationem mirae illius conjunctionis inter utrumque ordinem in homine (quod ellicaciae et valoris practici est, non valoris speculativi ac scientifici, ut omittam hoc magis ad theologiam

pertinere quam ad apologeticam), — atque non ad omnia sufficere, quod nemo contendit.

R. 2. De facto, id quod est in ea re necessarium non negligunt theologi, quippe qui soleant obligationem adstruere amplectendi eam religionem quam veram et divinam esse cognoveris, aut antequam cognoveris de ea inquirendi.

C. « Procedit in abstracto et mere intellectualiter. » Hoc partim verum est, sed in eo nihil est quod vituperetur ; partim verum non est. Qua in re duo sunt advertenda :

a) Aliud esse praeparationem subjecti ad inquirendum, ad recte judicandum, etc., aliud ipsam demonstrationem. Hujus praeparationis vel intellectualis vel moralis necessitatem nemo negat; sed eam vetus quae dicitur apologetica vel supponit vel breviter exponit, quippe quae ad eam minus directe pertineat.

b) Aliud esse therapeuticam mentis incredulae, aliud scientiam fundamentorum fidei. Porro scientiam eam et in abstracto procedere, et intellectum appellare (quanquam non solis rationibus ordinis speculativi appellat) est ipsa vel omnis scientiae vel hujus scientiae condicio.

5. *De pleno apologeticae munere.* Id vel ex eo sequitur quod apologetica etiam artis rationem habet. Quin etiam, ut est scientia, convenit ut, quantum fieri potest, non solum de motivis credibilitatis intellectualibus, sed etiam de causis convertendi realibus aliquo modo agat, de manuductione subjecti ab errore ad verum, a morte ad vitam : quomodo incredulum adeas, quomodo ad inquirendum inducas, quomodo mentem aut voluntatem si non omnino sanes, ita certe cures ut verum inquirere velit, discernere possit, amplecti non recuset. Quanquam haec artis magis, si quid in concreto agitur, rationem habent quam scientiae.

6. *Criterium bonae apologeticae.* Res per se patet. Applicatio locum habebit in sequentibus.

ARTICULUS III

Brevis recapitulatio et synthesis rerum, de apologeticae ratione et methodo.

Cum in articulis praecedentibus multa sint, pro argumenti

opportunitate, allata, quae quomodo in unum coeant non fortasse apparet, videtur praecipua de ea re doctrinae capita synoptice et synthetice complecti, ut qui legit omnia possit, vel certe praecipua, quasi uno intuitu conspicere. Hoc autem fiet per asserta quaedam, quae post datas explicationes non videntur ampliorem declarationem requirere.

36. **De apologeticae ratione.** — 1. Apologetica, etsi aliquo modo cum secundum finem operantis, tum etiam quadamtenus secundum finem operis, concipi potest ut ars vel inducendi ad fidem vel confirmandi in fide, motiva credibilitatis rite proponendo vel ea quae contra fidei credibilitatem afferuntur repellendo : tamen, ut a theologo spectatur et ut pars est theologiae vel praeambula vel integralis, melius, in ordine scilicet ad theologiam, definitur secundum rationem scientiae quam secundum rationem artis: cujus scientiae eae quae multae circumferuntur apologiae spectari possunt ut applicationes; in quibus applicationibus magis valeat ratio artis.

2. Porro, ut theologia est scientia fidei vel fides quaerens intellectum, ita apologetica est scientia praeambulorum fidei vel motivorum quae dicuntur credibilitatis; et ut theologia, utpote scientia magis speculativa quam practica, objectum suum, hoc est veritatem revelatam, considerat prout est intelligibile per rationem humanam, ex principiis scilicet fidei, ita apologetica pro proprio objecto habet rationalem fidei nostrae credibilitatem, vel revelationem divinam et veritatem revelatam ut rationabiliter credibilem: ac proinde, ut theologia in rebus fidei ab omni consideratione abstrahit quae non ad earum intelligibilitatem referatur, ita apologetica in doctrina de praeambulis fidei abstrahit ab omni consideratione quae non aliquo modo ad credibilitatem referatur.

3. Tota ergo apologetica huc reduci potest ut haec duo judicia statuat : Revelatio divina vel fidei mysteria sunt rationabiliter credibilia; Revelatio divina vel fidei mysteria sunt rationabiliter credenda.

37. **De apologeticae methodo.** — 1. Methodus apologetica, si consideratur secundum essentiales hujus scientiae

condiciones, non secundum contingentes aut accidentales procedendi variationes, quae magis ad artem apologeticam quam ad scientiam pertinent, pro norma habere debet ea principia quae modo sunt de apologeticae ratione stabilita.

2. Debet ergo mentem ad certa credibilitatis judicia manuducere; quae non aliter firma et rata esse possunt nisi certo constitit de facto revelationis christianae.

3. Ad haec autem judicia et ad certam de facto revelationis notitiam duplex potest esse via, vel rationis et scientiae, vel auctoritatis humanae, vi cujus alicui credatur fide digno, qui ipse de hoc facto sit certus. Qua in re, sive via scientifica, sive via auctoritatis proceditur, praecipuae fere sunt partes Ecclesiae; ut argumenta autem, semper et ubique valent, modo rite proponantur et homini rite disposito, miracula et prophetiae, utpote « divinae revelationis signa certissima et omnium intelligentiae accommodata ». Quanquam alia quoque possunt vel directe vel indirecte ad finem intentum inducere.

4. Cum autem ad haec judicia non perveniat fere incredulus nisi post praeparationem vel objectivam vel subjectivam multiplicem (intellectualem, moralem, supernaturalem), potest et debet apologetica de ea quoque praeparatione, in communi, curare, qua homo, cum per industriam humanam, tum per gratiam divinam, remotis impedimentis, propositis motivis et mediis congruis, ad inquirendum inducatur, in inquisitione adjuvetur et dirigatur, ita praeparetur ut videre possit rationum momenta, ad conclusionem manuducatur. Quanquam haec praeparatio, cum alia in aliis debeat esse, ad artem apologeticam potius, prout scilicet in particulari tractatur, quam ad scientiam pertinet.

CAPUT III

DE FORMIS APOLOGETICAE CONCRETIS

38. **Delimitatio argumenti et bibliographica.** — Nostrae intentionis non est proprie dictam apologeticae historiam etiam brevissime praestringere, sed vel aliquam tradere notitiam processus apologetici qualis apud eos exstitit qui aliquod in ea re nomen habent, ut inde varias apologias vel varia apologeticae systemata aliquo modo cognoscamus ac de iis judicando melius videamus quid ad perficiendam ipsam apologeticae scientiam possit undique corrogari.

Porro cum longum sit opus et magni laboris, brevitati studendum fuit. Duo ergo facimus :

1. Quaedam exhibemus veteris apologeticae specimina, citra omnem fere propriam elaborationem, textus ipsos presse sequendo ;

2. Recentioris apologeticae formas aliquas breviter exponimus ac de iis judicium ferimus secundum principia superius allata.

Nobis in ea re vel usui fuerunt vel ut utiles innotuerunt, praeter ipsos fontes vel auctores de quibus agitur : Karl Werner, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie,* 5 vol., Schaffhausen, 1861-1867 ; Le Bachelet, *Apologétique,* I^re^ partie : Exposé sommaire du développement historique de l'apologétique, in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès, 1909, t. I, col. 191-224, ubi dantur bibliographica ; Maisonneuve, *Apologétique, Histoire,* in *Dictionnaire de théologie catholique* Vacant-Mangenot, 1901, t. I, col. 1533-1580, ubi item habes bibliographica ; A. Gardeil, *Crédibilité,* x-xiii, ibid., 1908, t. III, col.

2236-2309; Joseph Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit,* 2ª editio, t. IV, p. 319-401, Münster, 1873; J. Martin, *L'apologétique traditionnelle,* 3 vol. (1905). De primis saeculis multa, eaque etiam nunc utilia ad rem nostram : Freppel, *Cours d'éloquence sacrée;* L. Laguier, *La méthode apologétique des Pères dans les trois premiers siècles,* 1905 (Collection *Sc. et R.*); Barcille, (Les Pères) *Apologistes*, in *Dictionnaire* Vacant-Mangenot, 1901, t. I, col. 1580-1602; J. Zahn, *Die apologetischen Grundgedanken in der Literatur der ersten drei Jahrhunderte systematisch dargestellt*, Würtzburg, 1890; G. Schmidt, *Die Apologie der ersten drei Jahrhunderte in historisch-systematischer Darstellung,* Mainz, 1890; A. Seitz, *Die Apologie des Christentums bei den Griechen des 4 und 5 Jarhrhunderts,inhistorisch-systematicher Darstellung,* Würtzburg, 1895; J. Tixeront, *La théologie anténicéenne,* 1906, passim; Faulhaber, *Die Apologeten der klassischen Vaterzeit.* 1. *Eusebius von Caesarea,* Würtzburg, 1895; W. Koch, *Die altkirchliche Apologetik des Christentums,* in *Theologische Quartalschrift,* Tübingen, 1908, p. 7-33. J. Lebreton in suo cursu de originibus christianis, 1908-1909, non pauca dedit de originibus apologeticae, e quibus aliqua sunt variis periodicis data; idem, *L'Apologétique chrétienne pendant les trois premiers siècles*, in *Actas del Congreso internacional de Apologética* (Vich, 8-11 sept. 1910), Vich, 1911, p. 85-96. In eodem libro habes : *De Apologia christiana saeculi quarti et quinti* (Rauschen); *La Apologética en el Periodo de la Escolástica* (Loranzano); *Historia de la Apologética desde principios de la Reforma hasta comienzos del siglo XIX* (Nebreda). Conspectum historicum apologeticae dant aliqui apologetae : sic Schanz, *Apologie des Christentums,* Freib. im Breisgau, 1903, t. I, p. 22-85 (anglicae editionis chapter 2, t. I, p. 18-65); A von Schmid, *Apologetik als spekulative Grundlegung der Theologie,* Freiburg im Br., 1900, p. 12-106; item Ottiger, § 8, p. 24-34, sed breviter; fusius et melius Tanquerey[13], n. 43-90, p. 27-58, cum bibliographicis; J. Pohle, *Die Algemeine Dogmatik, oder Apologetik,* Leipzig, 1906 (collectio *Die Kultur der Gegenwart*). Inter Protestantes : Gretillat, *Exposé de théologie systématique,* t. II, *Propédeutique* (Apo-

logétique canonique), Neufchâtel, 1893; G. Frommel, *l. c.*, p. 22-62. Tandem, ut utiles ad historiam apologeticae vel alicujus periodi, conferri possunt: Zöckler. *Geschichte der Apologie der Christentums,* Gütersloh, 1907; de recentiore apologetica, et maxime saeculo XIX, Langhorst, *Zur Entwicklungsgeschichte der Apologetik,* in *Stimmen aus Maria-Laach,* t. 18-20, 1880-1881; Roger Charbonnel, *Essai sur l'apologétique littéraire, du XVII^e^ siècle à nos jours;* At, *Les apologistes français au XIX^e^ siècle,* 1898. Quae vel singulos auctores vel singularia puncta spectant, suis locis indicabuntur. Interim vide, si libet, Gla, *Repertorium,* l. c., et de la Barre, *Rapport sur l'apologétique,* in *Comptes rendus du Congrès bibliographique* de 1898, t. I, p. 20-57.

ARTICULUS I

Veteris apologeticae specimina.

39. **De processu apologetico in V. T.**[1]. — Processus is fere est ex signis vel miraculi vel prophetiae, ut aliquem a Deo esse missum appareat, vel Deum Judaeorum esse verum Deum. Vide, inter multa : *Exod.* 4, 1-9, 30-31; 7, 3-5, 9-12, etc. (tota historia de plagis); *Num.* 14, 11; *Deut.* 7, 19; 26, 8; *Josue* 24, 5; *Iudic.* 6, 17-22; 36-40; 3 *Reg.* 13, 1-6; totam fere historiam Eliae, v. g. 3 *Reg.* 18, 19-39, maxime 37-39. Idem evincitur ex eo quod fere conjungitur salus populi cum causa Dei : *Exod.* 18, 10-11; *Numer.* 14, 13-21; 3 *Reg.* 8, 57-60; *Ps.* 78, 9-10. Haec maxime de signis; de prophetiis multa etiam afferri possunt : *Ierem.* 28, 9 : « Propheta... cum venerit verbum ejus, scietur propheta quem misit Dominus in veritate »; cf. *Ierem.* 44, 28-29; *Ezech.* 12, 22-28; *Deut.* 18, 21. Sed adverte :

1° Et adversus miracula et adversus prophetias posse cor indurari, ut in Pharaone, *Exod.* 7, 13, 8, 19; 9, 35; cf. *Exod.* 9, 12; 14, 8; ut in populo Judaico, *Is.* 6, 10; *Ps.* 68, 24.

1. Si quem offendit quod nomen *apologeticae* huc transferatur, cogitet quid hic velimus significare, et usum nominis studio brevitatis condonet.

2° Aliquo modo etiam discerni missionem aut sanctitatem ejus qui vel miracula ve prophetias videatur edere ex ejus doctrina, saltem sensu negativo, ut non possit esse a Deo, qui contra Deum agat aut loquatur : *Deut.* 13, 1-5.

3° Proinde in miraculo vel prophetia spectari aliud, nec fieri hujusmodi res a Deo nisi ob finem altiorem, in rerum contextu, ut ita dicam, religioso.

40. **De processu apologetico Christi**. — A. Hunc processum breviter describit Augustinus : « Ille afferens medicinam quae corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem. » *De utilitate credendi,* c. 14, n° 32, M. 42, 88. Quomodo vero mores sanaverit, ibidem explicatur, c. 15, n° 33. Porro ex toto evangelio apparet multum curasse Christum de morali praeparatione mentis et voluntatis ad fidem, multum dedisse in ea re divinae gratiae, neque unquam venisse tanquam praestigiatorem, qui nihil quaereret nisi ut sui admirationem moveret : saepe reprehendisse eos qui curiose signa et prodigia quaererent; per aliud ad se invitasse quam per signa et prodigia, immo animum eorum saepe appellasse et nescio quem intimum quo a suis agnosceretur vel sensum vel experientiam indicasse, qui divinae gratiae deberetur ; paucis, totam suam missionem et opus ad ordinem religiosum et moralem reduxisse, nihil superbis aut malevolis aut levibus aut terrestribus dedisse, nisi ut emendationem procuraret. Sed perspicuum est motiva credendi bene dispositis subministrasse, et suae missionis credibilitatem diligenter adstruxisse, atque inter signa credibilitatis praecipuas partes miraculis tribuisse aut signis adimpletae vel adimplendae prophetiae. Utrumque assertum legenti evangelium ita planum est ut pauca exempla sufficiant. Quae hic afferuntur, interjectis fere iis quae vel ex evangelistarum dictis, vel ex aliorum verbis et ratione agendi huc faciunt.

B. *a*) Ad prius assertum. De dispositione morali sunt multae parabolae, v. g. de semine, *Marc.* 4, 1-20 ; de invitatis ad nuptias vel ad cenam, *Mat.* 22, 2-14, *Luc.* 14, 16-24 ; directe *Joan.* 3, 19-21 : « Lux venit in mundum et dilexerunt homines magis

tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem... Qui autem facit veritatem venit ad lucem. » Item 7, 17. Eos redarguit qui signa et prodigia vel quasi jure suo exigunt, vel videndi causa requirunt, vel condiciones volunt definire, vel ita duri sunt ut solis prodigiis credant, cum multa alia essent motiva credendi, ut testimonium Joannis, ut vita et doctrina Christi, ut gratia paenitentiae quae tum diffundebatur, ut signa non pauca de adimpletis in Christo prophetiis. Sic *Joan.* 4, 48 : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis » ; *Marc.* 8, 11-12 : « Quaerentes ab illo signum de caelo... Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. » Cf. *Mat.* 16, 1-4 ; *Joan.* 6, 30. Quin etiam aliquam fidem vel fiduciam, vel bonam voluntatem aliquam, ita requirit ut vel eam excitet et praeparet antequam miracula faciat, vel miracula non faciat, et aliquo modo non possit facere, nisi fides aliqua praecessit. Sic *Marc.* 9, 23 : « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti » ; 6, 5 : « Et non poterat ibi virtutem ullam facere... et mirabatur propter incredulitatem eorum » ; *Luc.* 23, 8-11 : « Herodes... sperabat signum aliquod ab eo fieri... At ipse nihil illi respondebat... Sprevit autem illum Herodes. » Cf. narrationem de tentatione, *Mat.* 4, 3-7 ; de igne caelesti, *Luc.* 9, 53-56. Contra et asserit, et practice ostendit nihil negari credenti et petenti ; miracula autem sua fere tribuit fidei petentium. Sic *Marc.* 11, 23-24 : « Habete fidem Dei... Quicumque... crediderit, quodcumque dixerit, fiat, fiet ei » ; cf. *Marc.* 9, 23 ; ad Chananaeam : « Magna est fides tua ; fiat tibi sicut vis », *Mat.* 15, 28 ; cf. totum factum, *ibid.* 21-28. Partes facit gratiae suas, non semel. Sic *Mat.* 11, 25-26 : « Confiteor tibi Pater... et revelasti ea parvulis » ; *Mat.* 16, 17 : « Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus » ; *Joan.* 6, 44 : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater... traxerit eum » : 11, 26 : « Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis » ; cf. *Luc.* 16, 31. Invitat ad se omnes laborantes ut ad magistrum bonum ac suavem et promittit requiem, *Mat.* 11, 28-30 ; cf. *Mat.* 5, 1-12.

B. *b* Ad alterum assertum. Christus expresse confirmat missionem et potestatem suam ex miraculis et ex prophetiis. Quaerentibus Joannis discipulis : « Tu es qui venturus es? » multos

sanat et ostendit esse completam prophetiam. *Mat.* 11, 2-6; *Luc.* 7, 18-23. Sanat paralyticum ut ostendat « quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ». *Marc.* 2, 2-12.

N. B. — *Luc.* 4, 16-24, Christus non dicitur miracula fecisse ut confirmaret adimpletam in se esse prophetiam quam legisset, sed miracula ejus quaedam innotuisse civibus ejus ex contextu apparet : « Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. »

Inexcusabiles dicit eos qui non crediderunt miraculis : « Vae tibi Corozain », etc. *Mat.* 11, 20-24; cf. *Joan.* 15, 24 : « Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. » Ad peccatum in Spiritum sanctum refert quod miracula ejus in diabolum refunduntur, *Marc.* 3, 22-30. Nexum inter miraculum et missionem ostendit, *Marc.* 9, 38 : « Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo et possit cito male loqui de me. » Communem hanc esse omnium opinionem apparet ex aliorum sententia. Discipuli, etsi non semper intelligunt esse miraculum, ubi intelligunt, credunt. Sic *Marc.* 4, 37-41 (de sedata tempestate) ; 6, 48-52 : « Et plus magis intra se stupebant ; non enim intellexerunt de panibus. » Cf. *Mat.* 14, 25-33 : « Vere filius Dei es. » Item turbae, immo omnes. Postquam suscitavit filium viduae : « Magnificabant Deum dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. » *Luc.* 7, 16. Nathanael, *Joan.* 1, 48-50 : « Rabbi, tu es filius Dei... Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis. » Nicodemus, *Joan.* 3, 2 : « Scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. » Mulier Samaritana, *Joan.* 4. 17-19 : « Non habeo virum... Video quia propheta es tu » ; cf. 29 : « Venite et videte virum qui dixit mihi omnia quaecumque feci : numquid ipse est Christus? » Cf. 39-40 : « Multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris. » Caecus natus, *Joan.* 9, 17 : « Tu quid dicis de illo qui aperuit tibi oculos?... Quia propheta est. » Cf. 30-40 (36-38). Regulus, *Joan.* 4, 53 : « Credidit ipse et domus ejus tota. » Ipsi Pharisaei vim hujus criterii tacite admittunt ; unde fit ut vel miracula conentur negare, ut apparet ex historia caeci nati, vel in Beelzebul refundant.

Similia passim occurrunt, maxime apud Joannem, quae fere

collegit Gardeil, *l. c.* col. 22-38. Sic de miraculo in Cana, 2, 11 : « Hoc fecit initium signorum... et crediderunt in eum discipuli ejus » ; 2, 23 : « Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quae faciebat » ; 2, 18 : « Quod signum ostendis nobis, quia haec signa facis? » 6, 30 : « Quod ergo tu facis signum , ut videamus et credamus tibi? » Cf. 7, 31.

Hanc esse sententiam evangelistarum apparet ex multis. Sic *Marc.* 16, 20 : « Illi autem preadicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis » ; *Joan.* 20, 30-31 : « Multa quidem et alia signa fecit Jesus... Haec autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus, filius Dei. » Cf. 12, 37-43, ubi quasi miratur Evangelista quod Judaei post tanta et tot miracula non crediderunt, et hoc refundit in eorum duritiam cordis et obcaecationem.

Quod Christus sua ipse miracula appellet in signum credibilitatis, jam vidimus, vel apud Marcum, 2, 7 etsi is saepe advertit Christum, propter oeconomiam sui ministerii et animorum praeparationem, praecepisse vel daemoniis vel hominibus ne divulgarent miracula immediate; quod et tribus testibus transfigurationis praecepit. Haec Christi intentio apud Joannem saepe declaratur, v. g. dum disputat cum turbis aut Pharisaeis; sic 5, 36 : « Ipsa opera quae ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » ; 9, 3 (de caeco nato : « Ut manifestentur opera Dei in illo » : 10, 25, ut 5,36; 10. 37-39 : « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite » ; in casu Lazari, maxime 11, 42, in oratione ad Patrem ante miraculum : « Ut credant quia tu me misisti » ; cf. 11, 4.

N. B. 1. Haec fusius, pro rei momento. Quanquam, ut in priore asserto dictum est, tantum abest ut Christus totum opus suum ad stabiliendam credibilitatem reduxerit, immo omnia ita temperavit ut, dum suus esset locus credibilitati ex miraculis, maxime alliceret animos ad altiora, et quantum fieri posset, puritatem cordis, fidei simplicitatem, humilitatem mentis, etc., promoveret, eosque beatos praedicaret qui simplici fide, ea tamen valde rationabili, credidissent.

N. B. 2. Cavendum est autem ne ex solo effectu judices de valore methodi, cum ipsi Christo aut pauci aut certe non omnes crediderint, non quia non adessent motiva credibilitatis — erant enim inexcusabiles qui non credebant — sed quia motiva non valent ad fidem nisi bene dispositis et gratiam Dei non respuentibus.

C. Ad haec adjungenda est implicita quaedam vel exercita, ut ita dicam, apologetica, quae, quantum possumus discernere, multum valuit, immo praecipuas fortasse partes habuit, in Christi processu apologetico : quae non ex argumentatione esset aut ex rationibus credendi explicite propositis, sed magis ex ipsa personae et doctrinae, ut ita dicam, praesentatione, ex modo agendi et loquendi, ex doctrinae propositae claritate, plenitudine, convenientia ; item ex ipso proponendi modo, ex multis hujusmodi denique momentis, quae etsi diligentem analysim non omnino effugiunt, iis tamen audientium et intuentium animos mentesque multo efficacius quam vel dici vel conjici potest, potuit et debuit percellere. Atque huic apologeticae exercitae ipsum aliquo modo attestatur Evangelium, dum admirantur turbae « super doctrina ejus », cum doceret eos « sicut potestatem habens » ; dum cum sequuntur, de nulla re solliciti nisi ut ejus doctrina pascantur. Cf. *Mat.* 7, 28-29 ; *Marc.* 6, 33-36. Nemo quippe unquam locutus est « sicut hic homo », *Joan.* 7, 46 ; unde fiebat ut « mundus totus post eum » abiret, *Joan.* 12, 19. De qua virtute notus est Hieronymi locus : « Certe fulgor ipse et majestas divinitatis occultae, quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat adspectu. » *In Mat.* l. 1, c. 9, vers. 9, M. 26, 56. Atque hanc et personae Christi et ejus doctrinae quasi attractionem quis etiam nunc non sentit, qui aliquid pulchrum sentiat, si ei Christus rite proponatur? Nota sunt verba Rousseau de Evangelio, *Émile,* l. 4[1]. Similia possunt afferri innumera. Porro haec quasi fascinatio ad rationalem credibilitatem facile reducitur, et partim ex iis momentis constat quae sub analysim cadunt, ut jam notaverat Hieronymus, *l. c.* « Cum tantae virtutes, tantaque signa praecesserint, quae Apostolos, antequam crederent, vidisse non dubium est. »

N. B. — Quod hic de Christo dicitur, idem de Apostolis ac de ceterorum processu apologetico, servata proportione, debet intelligi.

41. **De processu apologetico Apostolorum.** — A. In

1. Hic in Appendice.

Actibus. a) Facta. Apostoli per miracula saepe conciliant sibi auctoritatem, ut credatur eorum testimonio de Christo, maxime de ejus resurrectione; et si non solam ejus resurrectionem appellant, sed vitam, beneficia, miracula, adimpletas in eo prophetias. Die Pentecostes, Petrus miraculum linguarum explicat ex effusione Sancti Spiritus quam praedixerat Joel; hinc transit ad Christum et ad nota ejus miracula : « Virum approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis »; ejus resurrectionem annuntiat, quam ostendit praenuntiatam in Psalmo, ejusque testes esse Apostolos plenos Spiritu Sancto; eum ergo esse Christum quem exspectarent. *Act.* 2, 4-7; 14-36 : cf. 2, 43 : « Multa... prodigia et signa per Apostolos... fiebant. » Idem est processus in casu claudi quem sanat Petrus, 3, et 44 : « In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula... Et exsiliens stetit, et ambulabat... Et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum... Et impleti sunt stupore et extasi... Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos... Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israelitae, quid... nos intuemini, quasi nostra virtute... fecerimus hunc ambulare... Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, quem vos... negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti... Auctorem... vitae interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus, hunc quem vos vidistis et nostis confirmavit nomen ejus; et fides quae per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum... Deus... quae praenuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic implevit. Paenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra. » Sequitur applicatio ad Christum et explicatio prophetiae de temporibus messianicis, et annuntiatio salutis per eum. « Multi autem eorum qui audierant verbum crediderunt. » Similia dicit Petrus principibus et senioribus, dum ii « hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere ». *Act.* 4, 5-14. Similia Stephanus, 6, 8 — 7, 58, maxime 6, 8; 6, 10; 7, 37 (prophetia Moysis de Christo); 7, 51-57 (de Judaeorum rebellione et testimonio Stephani de Christo); multis admixtis de Judaeorum historia, ut ostendatur tractatos

ab iis esse prophetas ut Christum ipsum, et ut quasi paretur locus Christo et paenitentiae. Item, 8, 6 : « Intendebant autem turbae his quae a Philippo dicebantur unanimiter audientes, et videntes signa quae faciebat. » Philippus, 8, 35-39, « incipiens a Scriptura ista (prophetia de Christo) evangelizavit illi Jesum... Et baptizavit eum » (cum is scilicet credere se esset professus). Quo in casu omnia videntur ad testimonium Philippi reduci, cum gratia scilicet et bona voluntate, sed ita ut in hoc testimonio includatur completio prophetiae in Christo, et fortasse miracula Christi, fere ut *Luc.* 24, 19-36.

Paulus recens a conversione, Damasci « continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes... Saulus autem magis convalescebat et confundebat Judaeos... affirmans quoniam hic est Christus ». 9, 20-22. De ejus argumentis nihil hic dicitur, sed ipsum factum erat argumentum. Cf. quae superius dicta sunt, 40, C, de apologetica Christi implicita.

Petrus, in urbe Joppe, cum vivam eis reddidisset Dorcadem, quae mortua erat, « notum factum est per universam Joppen. et crediderunt multi in Domino. » 10,42. Hoc utrum de Judaeis tantum an etiam de Gentilibus sit intelligendum non liquet. Antiochiae vero quidam e fratribus « loquebantur et ad Graecos, annunciantes Dominum Jesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum ». 11, 20-22.

In Cypro, cum Sergius Paulus, proconsul, vir prudens, desideraret « audire verbum Dei », Elymas vero magus resisteret, « quaerens avertere proconsulem a fide », ad verba Pauli Elymas fit caecus. « Proconsul, cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini. » 13, 6-12.

Antiochiae in Pisidia, Paulus ad Judaeos et ad proselytos in synagoga loquitur fere ut Petrus Jerosolymis et Antiochiae : « Deus plebis Israel elegit patres nostros... Suscitavit illis David regem... Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum, praedicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum paenitentiae omni populo Israel. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat : Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce

venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere... Viri fratres... vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem et principes ejus, hunc ignorantes et voces prophetarum quae per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt. et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum... Deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die : qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Jerusalem : qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annunciamus eam quae ad patres nostros repromissio facta est : quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut... scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Sequitur applicatio prophetiarum ad Christi resurrectionem et vitam incorruptibilem. « Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur. et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis qui credit justificatur. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis (Hab. 1, 5) ». Ad haec verba multi e Judaeis credunt; sed cum alii tumultum commoverent. convertuntur ad Gentes, secundum verba Isaiae (49, 6 . « Audientes autem Gentes gavisae sunt, et glorificabant verbum Domini; et crediderunt quotquot erant praeordinati (τεταγμένοι ad vitam aeternam. » 13. 14-48. Porro hic nullum fit miraculum, sed dicitur providentia Dei in Judaeos, praeparatio Christi et ejus origo ex semine David, testimonium Joannis. narratur ejus supplicium (etsi erat sine culpa), sepultura, resurrectio, apparitiones, testimonio Apostolorum confirmatae. et aliquo etiam modo per prophetias rei praenunciatio, Christi vita incorruptibilis et justificatio ex fide in eum. Conclusio est in applicatione alterius prophetiae. De Gentilibus pauca dicuntur, sed supponitur eos jam de evangelio audivisse. Vis argumenti ad Judaeos videtur in eo maxime poni quod in Christo implentur prophetiae messianicae; atque ipsius resurrectionis factum videtur huc reduci aliqua ex parte, non tamen totum ; factum autem hoc statuitur catena testium usque ab iis qui viderunt et testati sunt. Paulus autem exhibetur ut fide dignus. implicita ea apologia de qua dictum est.

Iconii multi credunt verbis Pauli et Barnabae cum Judaei tum Graeci. Concitatis autem turbis, fiducialiter agunt in Domino, qui testimonium perhibet verbo gratiae suae, dans « signa et prodigia fieri per manus eorum ». 14, 1-4. Lystris claudus quidam ex utero matris audit Paulum loquentem. « Qui intuitus eum et videns quia fidem haberet ut salvus fieret (πίστιν τοῦ σωθῆναι), » eum sanat. Unde fit ut incolae velint iis immolare ut diis. Quos ipsi prohibent « annunciantes... ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit caelum et terram... Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra ». 14, 8-17. Hic nihil specifice de Christo, neque de religione revelata.

In conventu Antiocheno, inter Christianos, ad dirimendam quaestionem de vocatione Gentium et ratione agendi cum iis. Petrus appellat testimonium Dei, qui dedit « illis Spiritum Sanctum et nihil discrevit inter nos et illos ». Agitur scilicet de charismatis visibilibus. Cf. 10, 44-46. In conventu Hierosolymitano, Paulus et Barnabas narrant « quanta Deus fecisset signa et prodigia in Gentibus per eos ». 15, 6-12.

Philippis quomodo locuti sint Paulus et Silas non dicitur, sed de Lydia haec : « Cujus Dominus aperuit cor intendere his quae dicebantur a Paulo. » 16, 14. Cum autem essent conjecti in carcerem (ob dimissum a puella pythonem) custos carceris, terraemotu et eorum agendi ratione commotus, eis ut divinitus missis procidit ad pedes, et ait : « Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt : Crede in Dominum Jesum... Et locuti sunt ei verbum Domini... Et baptizatus est ipse et omnis domus ejus continuo. » 16, 25-33.

Athenis in arcopago, Paulus primum arrepta occasione de ara « in qua scriptum erat : *Deo ignoto* », Deum verum iis annunciat, et doctrinam suam de eo confirmat ex dicto noti poetae. Confutato idolorum cultu, haec addit : « Et tempora quidem hujus ignorantiae despiciens Deus, nunc annunciat hominibus ut omnes ubique paenitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in aequitate, in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a

mortuis. » Porro ejus dictis quidam credunt, ceteri irrident. 17, 19-34.

Paulus Ephesi jam praeparatos per baptisma Joannis docet et baptizat... Deinde segregat discipulos suos a synagoga, et quotidie disputat in schola Tyranni cujusdam. Interea « virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur ». 19, 1-12. Cum autem Judaei quidam exorcistae vellent ipsi malos spiritus ejicere in nomine Jesu, quem Paulus praedicaret, « respondens spiritus nequam dixit eis : Jesum novi et Paulum scio; vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo... invaluit contra eos... Hoc autem notum factum est omnibus... Et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu ». 19, 13-18.

Adhuc non vidimus Paulum quidquam de sua conversione dicere. In tumultu Hierosolymitano contra se concitato, eam narrat ut partem suae apologiae (τῆς πρὸς ὑμᾶς νυνὶ ἀπολογίας), 22, 1-21. Similia apud regem Agrippam, 26, 1-30, nisi quod Moysen et Prophetas appellat, et rerum divulgatam undique notitiam, et fidem Agrippae, in prophetas scilicet, ut Agrippa diceret : « In modico suades me christianum fieri », sed hoc non sine ironia, ut qui non tam verum in re gravissima et causa propria inquireret, quam spectando vel audiendo animum oblectaret.

Romae autem ad Judaeos exponit « testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moysi et Prophetis », ut solebat. 28, 23. Cf. 27, 22-27 ad Agrippam; quemadmodum et Apollo faciebat. 18, 28.

b) Conclusio. Ex his apparet magnas esse partes apologeticae divinae, ut ita dicam, per signa scilicet, et prodigia, in *Actibus;* magnas etiam partes argumenti ex signis et prophetiis in processu Apostolorum apologetico sive explicito sive implicito. Non huc tamen totus reducitur processus. Nam ut ea omittam quae in contionibus Pauli v. g. ad artem apologeticam et ad propriam excusationem aut apologiam (quae ipsa, in hoc casu, vim habet vere apologeticam, etsi haec non distinguitur explicite ab altera) pertinent, haec habemus : quod suae

sunt partes, in multis casibus, auctoritati humanae ; quod processus recurrendi ad signa et prophetias includitur aliquo modo in appellatione specialis providentiae relate ad Judaeos; quod omnia haec intelliguntur esse in ordine salutis, in remissione peccatorum per Jesum, etc. ; quod Jesus ipse exhibetur in toto illo ordine providentiae. per prophetas praenunciatus, a Deo missus, per Joannem praeparatus, etc. ; quod doctrina de Jesu, de salute per ipsum, etc., intime miscetur cum motivis credibilitatis; quod ubi fit sermo ad Gentiles, idololatras, appellatur eorum ratio et instinctus quidam religiosus, ut sentiant de Deo et de ejus bonitate, misericordia, providentia, pie et religiose ; quod hic valent etiam ea momenta quae in apologetico Christi processu deprehendimus, 40, B, *a;* quod, ut quis rite intelligat apologeticum processum Apostolorum, debet etiam rationem habere de iis quae fiunt et non dicuntur, ac proinde ad apologeticum processum pertinent, etsi nihil ibi exhibetur expresse et signate apologeticum aut ad apologeticam pertinens ; quod subjectiva dispositio audientium multum in his rebus valet, sicut et interventus gratiae, sive hoc explicite indicatur, sive re et actione exhibetur: ut cum Athenienses irrident ubi fit sermo de resurrectione mortuorum, 18, 32 ; ut cum Festus dicit insanire Paulum, 26, 24; ut cum Agrippa, non sine ironia dicit : « In modico suades me Christianum fieri. » 26, 28.

42. **De processu Apostolorum apologetico.** — B. *In Epistolis.* Apostolorum epistolae, cum scriptae sint ad Christianos, supponunt iis praesto esse jam, cum fide ipsa, motiva credibilitatis. Quae ergo apologetica in iis sunt et relative pauca sunt et magis, ad confirmandos eos in fide, in memoriam revocantur quam proponuntur ex professo vel explicantur. Quaedam tamen possunt hic utiliter indicari.

a) In Epistolis Paulinis. Paulus, in Epistola ad Romanos, ostendit omnes peccasse et egere gloria Dei vel gratia Christi cum ex experientia Gentilium, qui, cum Deum cognivissent, ut Deum non glorificaverunt, et propterea traditi sunt in sensum reprobum, tum ex testimoniis Scripturae et experientia propria qua quis sibi conscius est non posse se sine gratia

legem servare. Unde fit ut gratias agat gratiae Christi ut liberatrici; quam libertatem in futuro fore perfectam eadem experientia et testimonio Spiritus intimo confirmat. Cf. Prat, *S. Paul,* I (1908), p. 330-1.

Ipse autem apostolatus sui gratiam ex factis suis vindicat, vel potius ex virtute signorum et prodigiorum, ex virtute Spiritus Sancti, qui fuit cum eo in apostolatu. 15, 17-20.

In epistola 1ª ad Corinthios[1], ostendit Christum esse credentibus sapientiam Dei et virtutem, qui stultitia et infirmitate praedicationis confundit sapientes et fortes; sermonem autem suum non fuisse apud eos in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, « ut fides vestra inquit, non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei ». 1, 21-2, 5.

Hic quoque inducitur aliquo modo testimonium Spiritus intimum, sed quod soli spirituales et perfecti — quales non sunt Corinthii — capere possint. 2, 9-3, 2.

De charismatis sunt haec ad rem nostram : « Linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. » 14, 22. Sed cf. 23. Item quae sequuntur : « Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fiunt : et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod vere Deus in vobis sit. » 24-25.

De resurrectione Christi ita agit Paulus ut ea utatur ad demonstrandam resurrectionem carnis : sed eam etiam et adhibet apud eos et videtur in prima praedicatione adhibuisse ut motivum credibilitatis: ipsam autem ex apparitionibus demonstrat, quibus attestantur Cephas, Apostoli, plusquam quingenti fratres « ex quibus multi manent usque adhuc », attestatur ipse cui « novissime omnium visus est ». 15, 2-8.

In altera ad Corinthios, ostenditur ministerium apostolicum ut gloriosum ex interventu divino, qui interventus partim ex signis elucet quae fiunt per Apostolos, partim et maxime ex ipso successu ministerii apostolici, cum sit tanta improportio, humana scilicet, mediorum ad finem. 12, 14 — 4, 16. Cf. 6, 4-10.

1. Cf. Prat, *S. Paul,* I, p. 127-130.

Ad finem autem apologiae suae, eos remittit ad propriam experientiam de Christi virtute in ipsis, ut inde intelligant esse Christi virtutem in Pauli infirmitate (quantum equidem hunc locum intelligo). 13, 3-9.

In Epistola ad Galatas, ex signis quae fiunt in ipsis per Spiritum Sanctum thesim suam demonstrat de justificatione per fidem Christi. 3, 5.

In Epistola ad Ephesios, ostendit virtutem Dei in resurrectione et triumpho Christi et in ipsorum conversione (etsi haec non dicuntur apologetice). 1, 20-2, 22.

In 1ª ad Thessalonicenses, meminit evangelium suum apud eos non fuisse in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto. 1, 5.

Conclusiones hae fere sunt. Paulus in Epistolis, etsi motiva credibilitatis absoluta vix appellat, utpote qui ad fideles scribat, tamen affert motiva credibilitatis : signa et ostensionem virtutis divinae in suo ministerio: successum ministerii sui, non ipsum secundum se, sed quatenus in eo relucet virtus et sapientia Dei, ob improportionem mediorum ad finem; charismata, maxime cognitionem cogitationis intimae ; aliquam experientiam ex effectu vel propriae infirmitatis sine gratia, vel propriae liberationis per gratiam; aliquam item experientiam, saltem in perfectis et probatis, ex intimo quodam Spiritus testimonio; resurrectionem Christi et vitam ejus novam etsi non intendit probare, eam tamen ostendit ut probatam multiplici testimonio humano. Implicitam autem apologeticam quae est in praesentatione vel Christi, vel doctrinae Christianae, vel propriae personae. quae ipsa non est adaequate distincta ab iis quae dicta sunt, sufficit indicare: item eam quae est ex conversione paganorum et vitae emendatione.

b) Ex Epistolis Petri et Joannis. In prima Petri Epistola, supponitur doctrina de Christo nota et accepta; ostenditur nunc impletum quod prophetae nunciabant, 1,3-12; fideles hortatur ut Gentes eorum vitam considerantes « glorificent Deum », 2,12 ; ut ipsi parati sint « semper, inquit, ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe, sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis confundantur qui calumniantur vestram bo-

nam in Christo conversationem ». 3, 13-16; cf. 4, 11. — In altera, dantur motiva credibilitatis : « Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam (παρουσίαν), sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria : Hic est Filius meus... Et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem. » 1, 16-19. Cf. 3, 1.

Prima Joannis incipit item a solemni attestatione : « Quod... audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt... annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo. Et haec scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. » 1, 1-4. Quo ex loco patet, quod in tota praedicatione apostolica est implicitum et vel ipso nomine *evangelii* declaratur, non ita procedere Apostolos ut nihil velint nisi doctrinam quamlibet ex eo commendare quod a Deo sit, sed venire ut bonos nuncios bonae doctrinae, ex qua gaudium sit magnum accipientibus, et hanc doctrinam salutis esse veram et credibilem.

In eadem epistola, non semel est sermo de unctione intima quae sit a Sancto, et quae doceat eos de omnibus. 2, 20; 27-28. Item de intimo quodam testimonio caritatis in nobis : « Non diligamus verbo... sed opere et veritate. In hoc cognoscimus (γνωσόμεθα) quoniam ex veritate sumus : et in conspectu ejus suadebimus corda nostra, quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. » 3, 18-20. Cf. 3, 24; 4, 12-14; 5, 2. Quid sit haec unctio, quid hoc testimonium caritatis vel experientia sive ex conscientia sive ex Spiritu non est nostrum hic definire. Sufficit indicasse non haec apologetice dici. Quanquam haud scio an aliquid apologeticum inde hauriri possit : non sensu protestantico de experientia vel sensu nescio quo religioso mere subjectivo, ita ut tota quaestio religiosa in subjectivismum recideret; sed vel conjectura probabili quasi ex signo vel ex affinitate quadam naturae nostrae ad divina, vel ex experientia quadam mystica de qua si rite constiterit, inesse in ea aliquid divinum.

43. **De processu apologetico in scriptis Justini.** — A. *In ejus conversione.* Narrat Justinus quomodo ipse ad fidem christianam venerit, initio fere Dialogi cum Tryphone, c. 2-8. Quaerebat scilicet veram philosophiam, vel doctrinam de Deo ac de beata vita. Porro eam cum in nulla secta invenisset, occurrit ei in litore senex quidam, qui cum ei ostendisset eam non esse a philosophis petendam, quippe qui ea ipsi carerent, eum ad veteres prophetas remittit, qui soli verum vidissent et hominibus nunciassent, pleni scilicet Spiritu sancto, et ea elocuti quae ab eo didicissent. Porro ii non demonstrando (μετὰ ἀποδείξεως) docuerunt, sed super omnem demonstrationem digni fuerunt testes veritatis, qui « cum futura vaticinati essent quae nunc impleta sunt », res ipsa « cogit adhaerere iis quae ab ipsis dicta sunt. Quanquam etiam per miracula quae faciebant digni erant quibus crederetur, cum et Deum rerum omnium factorem et patrem glorificarent et eum qui ab eo est Christum filium ejus denunciarent. Quod qui a spiritu erroneo et impuro implebantur pseudoprophetae neque fecerunt neque faciunt, sed prodigia quaedam ad hominum admirationem operantur, et spiritus erroris ac daemonia glorificant. Precare autem ut tibi ante omnia lucis aperiantur portae; neque enim conspici neque intelligi haec possunt, nisi Deus intellectum dederit et Christus ejus. Haec et alia multa locutus... abiit, praecipiens ut ea prosequerer. Et eum amplius non vidi. Sed mihi continuo ignis in mente exarsit, et amor me cepit prophetarum et hominum illorum qui sunt Christi amici; et mecum reputans (διαλογιζόμενος) ejus sermones, hanc solam inveniebam philosophiam et tutam et proficuam. » Christi autem eloquia « quemdam habent in se timorem et ea sunt quae deterreant eos qui a via recta avertuntur; requies autem suavissima gignitur iis qui de his curant. Tibi vero si qua est cura de te ipso, si salutem quaeris et Deo confidis... tibi quoque licet, agnito Christo Dei, et (per initiationem) perfectum, fieri beatum ».

Porro ad hanc conversionem contulisse etiam martyrum constantiam verisimile est, ex 2 *Apologia,* c. 12, n. 1; cf. *Dial.* 34, 8; 46, 7; 96, 2; 110, 4; 121, 2; 131, 2[1].

1. Haec indicantur secundum G. Archembault, *Justin, Dialogue*

B. *In Apologia 1. a,* Omissis iis quae vel ad captandos animos, vel ad refellenda ea quae objiciebantur, vel ad confutandos paganorum mores vel doctrinas faciunt, haec animadvertimus. Christiani dantur ut vere philosophi; idque jam fortasse innuitur indirecte, c. 2 : « Qui vere pii et philosophi sunt, id unum quod verum est ut colant et diligant ratio praecipit, recusantes majorum opinionibus obsequi si pravae sint... Sed omnino vel prae sua ipsius vita veritatis amatorem, etiam si mors intentetur, quae justa sunt ut et dicat et faciat eligere oportet. » Cf. c. 8 : « Nolumus vivere mentientes »; c. 39 : « Ut neque mentiamur neque inquisitores decipiamus, libenter Christum confitentes morimur. » Quod postea, c. 6, demonstratur ex eorum doctrina de Deo, cui nihil tribuant nisi sanctum et pium, ut ipsi a Christo didicerunt, paratique sunt alios sine invidia docere, ut volunt ipsi sancte vivere propter praemia sancte viventibus repromissa. Cf. 10 : « Sed neque indigere materiali ab hominibus oblatione accepimus Deum... et eos solos ei esse acceptos didicimus... qui ea quae in ipso sunt bona imitantur. » Item c. 13. Unde fit ut vel societati civili sint valde utiles, c. 12. Eorum autem fortitudo, dum obnoxii sunt persecutioni, inde est quod haec praedixit Christus, cujus in doctrina eo ipso confirmantur, quod vident fieri « quaecumque in antecessum futura praedixit : quod Dei opus est ». C. 12. Quae mors non ipsis damnosa est, sed inferentibus, c. 2, 11, 45.

Secundum eamdem fere lineam plura adduntur « ad conciliandos veri amatores », c. 12 : de cultu Dei et oratione, c. 13 ; de mutatione morum, c. 14, cf. 39 : et ea quidem secundum praecepta Christi, c. 15-17. Doctrinas christianorum ex analogiis naturalibus vel comparatione cum opinionibus paganorum confirmat, c. 18-22.

b) Hinc eo devenit ut ostendat « quaecumque dicimus edocti a Christo et a prophetis qui eum antecesserunt, ea sola vera esse et omnibus qui exstiterunt scriptoribus antiquiora, neque idcirco quia eadem quae illi scriptores dicimus nos rogare ut probemur, sed quia veritatem loquimur », prout scilicet Jesus

avec Tryphon, 1909, t. 1, p. 12. Cf. Otto, ad *Apologiam* 2am, c. 12, p. 232

Christus, filius Dei unigenitus, « ejus voluntate factus homo, immutandi ac restituendi humani generis causa, haec nos docuit »; etsi, « priusquam inter homines homo versabatur, in antecessum quidam per... malos daemones tanquam facta dixerunt quae poetae per modum mythi narraverant », c. 23. Quam demonstrationem per tria haec praeparat : 1) quod soli christiani odio habeantur propter nomen Christi, c. 24; 2) quod cultum deorum flagitiosum contempserint quamvis morte proposita, ut per Jesum Christum Deo ingenito se consecrarent, eorum miserati qui ista credunt quorum auctores esse daemones constat, c. 25, cf. 46; 3) quod cum ipsi nihil eorum perpetrent quae vel pagani vel haeretici faciunt, soli calumniis sint obnoxii, ex quo iterum conjicitur influxus daemonum, c. 26-29. Ipsam vero demonstrationem de Christo non ex miraculis tradit, ne is dicatur arte magica miracula edidisse, c. 30, sed ex prophetiis : « Demonstrationem jam faciemus, non dicentibus credentes, sed futura priusquam eveniant praedicentibus necessario fidem habentes, cum ipsis oculis ut praedicta sunt videamus evenisse et evenire : quae quidem maxima et verissima demonstratio vobis quoque, ut arbitramur, videbitur. » C. 30, cf. 33. Hanc autem demonstrationem late persequitur, c. 31-53. « In his igitur prophetarum libris praenunciatum invenimus Jesum nostrum Christum advenire, nasci per virginem, et in virum crescere, et omnem morbum omnemque languorem curare et mortuos excitare et invidiae obnoxium et non agnitum et in crucem agi, et mori, et resurgere et in caelum adscendere, atque eum filium Dei esse et vocari, et quosdam ab illo mitti ad omne genus hominum qui haec praedicent, et homines ex gentibus magis ei credere. » C. 31. Conclusio haec est, c. 53 : « Finem fecimus, satis esse vel istas (prophetias) ad persuasionem iis qui aures ad audiendum et intelligendum habeant (τὰ ἀκουστικὰ καὶ νοερὰ ὦτα ἔχουσιν) rati, et perspicere posse eos putantes non, ut fit in fabulis,... dicere nos tantum, sed demonstrare non posse. Qua enim ratione homini in cruce fixo crederemus esse eum primogenitum ingenito Deo, et judicium de toto humano genere facturum, nisi testimonia priusquam veniret homo factus promulgata de eo invenissemus et ita evenisse vidissemus? » Quam demonstrationem non infirmari, immo

confirmari, ait ex iis quae similia aliquo modo apud paganos vel haereticos inveniuntur, ea esse dicens ex prava per daemones imitatione, ut per fabulas via veritati praecluderetur. Nihilque in iis esse nisi frivole et leviter dictum, nulla ratione firmum. C. 54-60.

c) Denique, quo melius innotescant et innocentia christianorum et eorum doctrinae, describit Justinus totam divini cultus rationem, ritum baptismi, eucharisticam liturgiam, conventus religiosos. C. 61-67. Quibus narratis, haec addit, c. 68 : « Atque si haec vobis rationi et veritati consentanea videntur, ea in pretio habete; sin nugae vobis videntur, ut nugas contemnite, et nolite tanquam adversus hostes adversus eos qui nihil mali agunt mortem decernere. Praedicimus enim vobis : Non fugietis futurum Dei judicium, si manebitis in iniquitate; nos autem acclamabimus : Quod placet Deo id fiat. »

C. *In altera Apologia*. Haec cum sit brevior, et eadem fere repetat, pauca ex ea indicamus. *a*) De daemonum ejectione, c. 6 : « Jesus... homo... factus est... pro credentibus hominibus et ad eversionem daemonum, ut etiam nunc ex iis quae sub adspectu vestro fiunt cognoscere potestis. Multos enim daemonibus agitatos per totum orbem et in vestra urbe multi nostrorum hominum, christianos dico, cum per nomen Jesu Christi adjurarent... ab omnibus aliis adjuratoribus et incantatoribus et veneficis non sanatos sanaverunt et etiam nunc sanant [1]. »

b) De praestantia doctrinae, c. 10 : « Liquet ergo sublimiora esse quae nos docemus omni humana doctrina, quia totus logos exstitit Christus », cum ceteri « quaecumque... praeclare unquam dixerunt aut excogitaverunt, ea secundum logi partem exquirendo et considerando elaboraverunt ». Cf. *e*.

c) De diffusione doctrinae, *ibid.* Socrates Deum « ut rationis inquisitione cognosceret hortabatur dicens : *Parentem et opificem universorum neque invenire facile, neque inventum apud omnes praedicare tutum est.* Quae Christus noster sua ipsius potestate praestitit. Socrati enim nemo ita obsecutus

1. De hoc saepe vel Justinus vel alii. Vide Otto, in hunc locum, p. 216. Cf. c. 8.

est ut pro ejus doctrina mortem perferret; Christo autem... non philosophi tantum et litterati homines obsecuti sunt, sed etiam operarii et omnino indocti, qui et gloriam et metum et mortem contempserunt : quandoquidem virtus est (haec) ineffabilis Patris, et non humanae orationis artificium. »

d) De forti christianorum confessione, c. 12 : « Nam et ipse ego, cum Platonis delectarer doctrinis, audiremque criminationes quae in christianos jactabantur, eos autem ad mortem ceteraque omnia quae terribilia existimantur impavidos cernerem, intelligebam fieri non posse ut in nequitia et voluptatum amore viverent. » Poterant et ipsi male agere et excusationem habere a deorum exemplis. « Quoniam vero haec instituta eosque qui ista patrant et imitantur fugere suademus... variis modis oppugnamur. At parvi pendimus, quia Deum omnium inspectorem justum scimus. » Nec minus fortis Justinus, c. 13 : « Nam et ego, cum integumentum nefarium (περίβλημα πονηρόν) [1] a pravis daemonibus ad deterrendos ceteros homines divinis christianorum doctrinis injectum viderem, et hujusmodi mendaciorum auctores et ipsum integumentum irrisi et vulgi opinionem. Christianus inveniri et glorians (εὐχόμενος) et omni dimicatione contendens confiteor. »

e) De logo diffuso, *ibid.* : « Non sunt alienae Platonis doctrinae a Christo, sed non sunt omnino similes, ut neque ceterorum, stoicos dico et poetas et historicos. Quisque enim ex parte disseminati divini logi id quod ei cognatum erat videns pulchre elocutus est; qui autem inter se contraria in rebus gravioribus dixerunt, non scientiam illam (perfectam) neque irrefutabilem cognitionem videntur habuisse : Ἕκαστος γάρ τις ἀπὸ μέρους τοῦ σπερματικοῦ θείου λόγου τὸ συγγενὲς ὁρῶν καλῶς ἐφθέγξατο· οἱ δὲ τἀναντία ἑαυτοῖς ἐν κυριωτέροις εἰρηκότες οὐκ ἐπιστήμην τὴν ἄποπτον [2] καὶ γνῶσιν τὴν ἀνελέγκτον φαίνονται ἐσχηκέναι. Quaecumque igitur apud omnes praeclare dicta sunt, nostra christianorum sunt : eum enim qui est ab ingenito et ineffabili Deo logum [3]... ado-

1. Calumnias intelligit et quae christianis affingebantur. Cf. c. 12.

2. De lectione non satis constat; si legitur ἄποπτον, vertendum est : *ab oculis remotam.*

3. In textu est : μετὰ τὸν Θεὸν, *post Deum*, quod omittimus ut catholicae veritati non satis consonum.

ramus et amamus, quandoquidem etiam propter nos homo factus est, ut et perpessionum nostrarum particeps factus, et sanationem faceret. Scriptores enim omnes per id quod inerat insiti logi semen subobscure potuerunt videre ea quae sunt (τὰ ὄντα). Aliud enim est semen aliquod et imitamen pro viribus concessum, et aliud illud cujus secundum gratiam quae ab eo est participatio et imitatio existit. »

D. *In Dialogo*. Omissis iis quae jam sunt indicata de conversione Justini, de fortitudine christianorum, de daemonum expulsione in nomine Christi, de pulchritudine doctrinae et vitae innocentia [1], duo advertimus :

a) Justinus credibilitatem vindicat doctrinae quam profitetur. Sic c. 9 : « Utinam velles rationem accipere quod non sumus in errore neque desinemus eum (*Christum*) confiteri, quamvis ab hominibus nobis inferantur contumeliae, et quamvis saevissimus abnegare cogat tyrannus! Praesenti enim ostendam non vanis nos credidisse fabulis neque sermonibus improbabilibus, sed plenis spiritus divini et virtute turgentibus et florentibus gratia. »

b) Justinus hic, utpote cum Judaeo agens, ex Scripturis arguit, et quidem per recursum ad sensum spiritualem. Argumentum autem ejus praecipuum, etsi miracula non respuit, est ex indole prophetica Scripturae, ut ostendat esse completa in Christo et in religione ab eo fundata ea quae a Prophetis dicta erant de novo foedere; de Christi persona, vita, morte, resurrectione, munere; de rejectione Judaeorum et gentium vocatione.

E. Ex his et similibus momentis possumus apologeticae Justini processum ad haec fere, ut videtur, reducere :

a) Apologeticam ex miraculis habet pro valida ipse quidem, sed ea parum utitur, ne det ansam paganis maxime tribuendi prodigia Christi magicis praestigiis et ea confundendi cum iis quae a paganis per daemones aut fiebant aut fieri credebantur; utitur tamen argumento ex charismatis desumpto, et maxime ex charismate apud christianos tum communi ejiciendi daemonia per invocationem Christi.

1. Adverte inter cetera haec dici quod Deum orent ut eorum misereatur a quibus omnia patiantur, c. 18, n. 3.

b) Argumentum ex prophetiis maxime adhibet, ejusque valorem nervose extollit. Porro non eodem plane modo eo utitur apud Tryphonem et apud paganos : siquidem Tryphoni, utpote Judaeo, conatur tantum ostendere in Christo et Christi religione esse completa quae in V. T. praenunciabantur; paganis autem libros V. T. ex eorum antiquitate maxima commendat, sed ita commendat ut in iis praenunciari ostendat quae ipsi in Christo et christianis facta esse non ignorent : cujusmodi praenunciatio sit opus divinum.

c Argumentum ex christianorum fortitudine, cum in profitendo se esse christianos tum in perferenda morte, sic affert ut inde demonstret non id esse desperatae cuidam pertinaciae tribuendum, sed esse eos vere philosophos qui mentiri nolint, ne, poenas temporales dum vitant, supplicia aeterna mereantur: item non sine causa eos Christo credidisse qui pro ejus doctrina tanta patiantur; item non esse eos hujusmodi sceleribus et nefariis voluptatibus deditos quae iis passim objiciebantur, qui tam fortiter vitam et voluptatem pro Deo contemnant.

d) Argumentum ex praestantia doctrinae ita exhibet ut appareat quam pulchra sit haec philosophia antiquitus in libris sacris tradita, nuper a Christo perfecta et omnibus, etiam rudibus, accommodata; ut res aliter non explicetur nisi ex interventu logi et efficacia spiritus. Atque in eumdem fere sensum dicitur de mutatione morum per christianam religionem inducta.

e) Magnae autem partes tribuuntur actioni daemonum, influxui logi diffusi, antiquitati librorum, non tam ut inde demonstretur veritas christiana quam ut explicentur puncta quaedam quae difficultatem creabant, aut commendetur haec veritas.

Ex daemonum actione est ut christiani sint omnibus odio, ut fuit Socrates et Heraclitus; item oracula, prodigia, ritus tam similes ritibus christianorum.

Ex diffusione logi fit ut fuerint aliquo modo christiani ante Christum Heraclitus, Socrates; et ut tanta sit affinitas in multis inter doctrinas christianas et philosophicas, sed ita ut illae perfectius exhibeant quod hae imperfecte.

Ex antiquitate librorum arguitur Platonem et ceteros a Ju-

daeis accepisse. Quae omnia in commendationem christianae doctrinae vergunt.

F. Ad haec adverte : *a*) Magis vult Justinus defendere christianos quam christianam veritatem proprie demonstrare; ut autem defendat, exponit qui sint, qui eorum mores, quae doctrinae. Cum autem philosophus apud philosophos agat, aspectum, ut ita dicam, philosophicum christianae veritatis et vitae maxime ostendit, et potius rationabilem esse hanc religionem vult evincere quam esse transcendentem vel divinam.

b) Alia tamen est ei quaestio de hujus religionis conformitate ad rationem, alia de ejus veritate; et, ut multa « ad conciliandos animos » affert, ita etiam profitetur velle se veritatem demonstrare, quod maxime facit ex prophetiis, etsi alia quoque momenta non negligit, quae ad credibilitatem faciant. Item principium credibilitatis strenue vindicat.

c) Multum hic valet implicita ea de qua diximus apologia ex doctrinae et vitae exhibitione; item ea quae est ex sinceritate dicentis, amore veritatis, virtutibus christianorum et fortitudine pro sua fide morientium, tono, ut ita dicam, vere philosophico, appellatione ad id quod in legentibus est optimum, rationale, religiosum.

d) Unde etiam apparet quantum tribuat Justinus momentis intrinsecis et subjectivis : praestantiae doctrinae, sensui morali, dispositioni legentis, sensui religioso, gratiae, etc.

e) Nec tamen ita extollit religionem christianam ex humanis, ut ita dicam, argumentis, ut divinam non exhibeat. Immo haec ita conjungit ut vix videatur utrumque ordinem, naturalem et supernaturalem, distinguere : quae distinctio nec ita erat in casu ad explicandum necessaria, et, quantum necesse erat, satis existebat, implicite illa quidem, sed tamen existebat ex eo quod christiana religio ut divinitus data per Christum exhibebatur.

f) Etsi multa sunt in Justini argumentis vel falsa vel invalida, falsitas tamen vel inefficacia magis est in applicatione et in eo quod absolute profertur quod non valebat nisi ad hominem, quam in principiis ipsis et in tenore ejus apologeticae.

g. Quae autem hic de Justino dicuntur, partim de ceteris quoque apologetis valent. De eo vero fusius dictum est et quia res ipsa visa est postulare, et quia Justinus pro exemplo affertur, quo cognito de aliis vel brevius dicere vel nihil omnino licebit.

44. **De processu apologetico in epistola ad Diognetum.** — A. Exhibetur Diognetus ut valde studiosus christianorum religionem (θεοσέβειαν) cognoscendi, et percontans « cui Deo confidentes et quomodo cum colentes mundum aspernentur omnes, mortemque contemnant », aeque separati et a Judaeis et a Gentilibus; de eorum amore inter se, ac de eorum novitate (« cur novum hoc genus aut institutum nunc demum apparuerit ac non prius »). Laudat scriptor ejus studium et petit a Deo, « qui et loquendi et audiendi facultatem suppeditat », ut sibi detur « ita loqui ut is qui audivit melior fiat », et ei « ita audire ut qui loquitur non contristetur ». C. 1.

Hortatur eum ut se a cunctis praejudiciis exuat, et « fiat tanquam ab initio novus homo, qui novam doctrinam sit auditurus ». Ac confutata idololatria concludit hinc intelligi cur « christiani talibus diis non serviant ». C. 2.

Applicatur idem ad Judaeos, ut idem concludatur. Ante autem quam de christianis dicat, cum sic admonet: « Propriae autem eorum religionis mysterium noli sperare posse te ab homine discere », ut scilicet locum divinae gratiae paret. C. 3-4. Nunc christianos ostendit in mundo cum omnibus ubique mixtos, neque ab iis quibuscum versantur ullo vitae externae instituto dissimiles, et tamen aliquid proprium in toto vitae genere praeferentes : « In terra degunt, sed in caelo civitatem suam habent... Amant omnes et omnibus sunt odio... Vituperantur et benedicunt... Dum benefaciunt, ut mali puniuntur; dum puniuntur, gaudent quasi vivificentur... Causam odi dicere qui oderunt non habent. » C. 5. Paucis, « quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani... Anima carnem amat... et christiani osores amant. Inclusa quidem est anima in corpore, sed continet ipsa corpus : et christiani detinentur quidem in mundo... sed ipsi continent mundum. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat : et christiani

peregrinantur in corruptibilibus, eam quae in caelo est incorruptibilitatem exspectantes... Suppliciis affecti quotidie plures fiunt ». C. 6.

« Non enim terrenum, ut dicebam, inventum hoc iis traditum est, neque mortalem cogitationem custodire tam diligenter curant, neque humanorum dispensationem mysteriorum habent sibi creditam. Sed ipse vere omnium gubernator et conditor et invisibilis Deus, ipse e caelis veritatem et verbum sanctum et incomprehensibile inter homines statuit et confirmavit in cordibus eorum; idque non per aliquem ministrum aut angelum, sed « ipsum artificem et factorem (δημιουργόν) omnium... ad eos misit ». Misit autem « in clementia et lenitate, ut rex mittens filium regem misit ». Porro pro eo omnia sustinent christiani. Videmus eos « feris objici et non vinci. Nonne vides quanto plures supplicio afficiuntur, tanto plures abundare alios? Haec non videntur ab homine fieri; haec virtus sunt Dei; haec ejus adventus argumenta. » C. 7.

« Quis enim omnino hominum sciebat quid tandem esset Deus, priusquam ipse venerat?... Hominum nullus neque vidit, neque notum fecit, ipse autem se ostendit. Ostendit autem per fidem, cui soli Deum videre concessum est. » Et ipsum et ejus consilia nesciebamus. « Postquam vero revelavit per dilectum filium (παιδός) et manifestavit quae ab initio erant praeparata, omnia simul praebuit nobis, et participes esse beneficiorum ejus et ea videre atque intelligere quae quis unquam nostrum exspectasset? » C. 9

Exponitur deinde oeconomia redemptionis et cur tanto post tempore venerit redemptio, ut scilicet « cum illo tempore convicti essemus ex propriis operibus indigni esse vita, nunc Dei benignitate redderemur digni », ut ab eo omnia exspectaremus. C. 9.

Hinc fit applicatio ad Diognetum : « Hanc tu quoque fidem si expetieris, adipisceris primum quidem cognitionem (ἐπίγνωσιν) Patris », et ejus in nos dilectionis ac beneficiorum vel datorum vel sperandorum. « Quam cognoscens, quo te putas impletum iri gaudio? Aut quantum diliges eum qui te ita dilexit prior! Diligens autem, imitator eris ejus bonitatis. Ac noli mirari posse hominem fieri imitatorem Dei. Potest eo volente », bene

scilicet faciendo. « Tunc perspicies in terra degens Deum in caelis regnare : tunc mysteria Dei loqui incipies ; tunc eos qui puniuntur quod Deum abnegare nolint et diliges et miraberis ; tunc fallaciam mundi et errorem damnabis, cum veram vitam caelestem cognoveris (ὅταν τὸ ἀληθῶς ἐν οὐρανῷ ζῆν ἐπιγνώσῃ), cum eam quae hic videtur mors contempseris, cum eam quae vere mors est timueris, quae servatur iis qui damnabuntur ad ignem aeternum, qui sibi traditos usque ad finem puniet. Tunc eos miraberis qui pro justitia sustinent ignem temporarium et beatos praedicabis. cum ignem illum cognoveris. » C. 10.

B. Ex dictis haec, ut videtur, habemus. Processus apologeticus totus fere est in rerum propositione et declaratione qua Diogneti quaesitis satisfiat et quasi solvatur aenigma quod in facto, ut ita dicam, christiano inerat. Satisfit enim quaesitis intimam rerum naturam manifestando, et ipsam doctrinam christianam proponendo. Unde fit ut omnia plana et admirabilia fiant, et animus inducatur ut ad hanc fidem et vitam accedat. Ad hanc apologeticam ab intrinsecis sequitur conclusio : Haec non esse humana sed divina. Quod breviter, enunciando potius quam argumentando, effertur. Proficiscitur autem scriptor ab iis quae quaeruntur, locum gratiae et bonae voluntati parat, animum allicit ad amplectendam hanc fidem et vitae institutum promissione melioris cognitionis et vitae beatae. Qua in re intime conjunguntur moralia et intellectualia, et egregium specimen habemus cum scientiae apologeticae tum artis.

45. **De processu apologetico in scriptis Tertulliani**[1]. — A. *In Apologetico.* Vix quidquam est apud Tertullianum quod non sit apud Justinum, sed alio plane stilo, non eadem captatione benevolentiae, non eadem erga veteres philosophos (etsi usus eorum videtur esse fere idem utrinque benevolentia, non eadem animi pacifici significatione.

Praeambulum est ex eo quod in Christianis solum nomen condemnetur, et ita condemnetur quidem ut qui condemnant omnem de ipsa re cognitionem recusent; qui autem condem-

1. Vide A. d'Alès, *La théologie de Tertullien*, 1905, c. 1 . La divinité du christianisme, p. 1-36.

nantur confiteantur libenter esse se christianos, sed de rebus fieri inquisitionem petant. Quam condicionis singularitatem ita extollit Tertullianus ut vel inde aliquod jam praejudicium in Chistianorum favorem creet, et simul ad inquirendum moveat. C. 1-2.

Sed lex est « Non licet esse vos ». Quid si injusta est haec lex? Quid si Imperatores, prout boni erant vel mali, esse vel non esse Christianos voluerunt? Quid si leges multae obsoleverunt? Atque hinc rursus diluto crimine aliquod in favorem Christianorum oritur praejudicium. C. 3-6. His praemissis, ea refutat quae Christianis objiciuntur. et in ipsos retorquet qui objiciunt. C. 7-15. Hinc rursus ex crimine scilicet atheismi argumentum. « Quid ergo colunt, qui talia non colunt? Jam quidem intelligi subjacet, veritatis esse cultores qui mendacii non sint; nec errare amplius in eo, in quo errasse se recognoscendo cessaverint. » C. 15.

Quod probatur directe « omnem sacramenti nostri ordinem » proponendo, « repercussis ante tamen (c. 16 opinionibus falsis ».

Exponitur doctrina de Deo et confirmatur ex « testimonio animae naturaliter christianae ». C. 17. Hinc fit gradus ad religionem revelatam. Is Deus « quo plenius et impressius... dispositiones ejus et voluntates adiremus, instrumentum adjecit litteraturae. si qui velit de Deo inquirere, et inquisito invenire. et invento credere, et credito deservire. Viros enim et innocentia dignos Deum nosse et ostendere a primordio in saeculum emisit spiritu divino inundatos quo praedicarent Deum unicum esse, etc. Voces eorum itemque virtutes quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istae nunc latent... Qui audierit, inveniet Deum: qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere ». C. 18.

Porro « primam... instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat », cum Moyses « Argivo Inacho pariter aetate sit ». C. 19. Sed plus offerimus: « Divinas probamus, si dubitatur antiquas. Nec hoc tardius aut aliunde discendum : coram sunt quae docebunt, mundus et saeculum et exitus. Quidquid agitur, praenunciabatur; quidquid videtur, audiebatur... Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Idoneum,

opinor, testimonium divinitatis veritas divinationis. » C. 20.

Sed haec Judaeis patrocinantur : alii sunt Christiani. « Verum neque de Christo erubescimus, cum sub nomine ejus deputari et damnari juvat, neque de Deo aliter (ac Judaei) praesumimus ». Porro praenunciata erat abjectio Judaeorum et adlectio gentilium sub Christo. De quo exponitur quid credant Christiani. « Recipite interim hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur. » Hunc scilicet praenunciabant « vel qui penes vos ejusmodi fabulas aemulas ad destructionem veritatis... praeministraverunt. Sciebant et Judaei venturum esse Christum, scilicet quibus prophetae loquebantur ». Quod autem eum « jam venisse non credunt... meritum fuit delictum illorum ». Signa enim ipse de se dabat, « cum verbo daemonia de hominibus excuteret, caecos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitae, elementa ipsa famularet, compescens procellas et freta ingrediens, ostendens se esse *logon* Dei ». Quem « magistri primoresque Judaeorum in crucem dedi sibi » extorserunt. « Praedixerat et ipse ita facturos. Parum hoc, si non et prophetae retro. » Ad ejus mortem, « dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo praedicatum non agnoverunt... Et tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis ». Resuscitatus, non tamen « se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur, ut et fides, non mediocri praemio destinata, difficultate constaret. Cum discipulis autem quibusdam... ad quadraginta dies egit, docens eos quae docerent... Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia christianus, Caesari tum Tiberio nunciavit ». Testes item discipuli, qui « diffusi per orbem ex praecepto magistri Dei paruerunt... et ipsi... multa perpessi... sanguinem christianum seminaverunt ». Testes vel daemones : « Monstrabimus vobis idoneos testes Christi ipsos illos quos adoratis. Multum est si eos adhibeam ut credatis Christianis propter quos non creditis Christianis. » Bene ergo Christiani profitentur vel in cruciatibus Deum se colere per Christum. « Illum hominem putate, per eum et in eo se cognosci vult Deus et coli. » Conclusio : « Quaerite si vera sit ista divinitas Christi. Si ea est qua cognita ad bonum quis refor-

metur, sequitur ut falsa renuncietur quaevis alia contraria comperta. » C. 21.

C. 22, exponitur doctrina de daemonibus (quam scire vel philosophos constat), et quomodo ii « hominem a cogitatu verae divinitatis avertant praestigiis falsae divinationis ».

C. 23, inducuntur iidem in testimonium veritatis christianae et quidem dupliciter : dum agnoscunt imperium christianorum eos e corporibus expellentium; dum, qui paganis dii habentur, daemones se esse confitentur, « christiano mentiri non audentes ». Cf. c. 27 : « Licet subjecta sit nobis tota vis daemonum et ejusmodi spirituum. »

Reliqua capita, 24-50, pauca habent ad rem nostram, cum tota sint in repellendo crimine vel irreligiositatis vel laesae majestatis imperatoriae, vel similibus. Latet tamen implicita quaedam apologetica in quibusdam, ut cum describuntur mores et doctrina Christianorum, c. 39, cf. c. 42 ; cum ostenditur quam sint reipublicae utiles, c. 42, 43; cum agitur de eorum innocentia ex conscientia et timore Dei non ex timore proconsulis, c. 45 ; cum comparantur eorum virtutes cum fucatis virtutibus philosophorum, c. 46 : « Quid adeo simile philosophus et Christianus, Graeciae discipulus et caeli, famae negotiator et salutis, verborum et factorum operator, rerum aedificator et destructor, interpolator erroris et integrator veritatis, furator ejus et custos ? »

C. 46, huc argumenti summa reducitur : « Constitimus, opinor, adversus omnium criminum intentionem quae Christianorum sanguinem flagitat. Ostendimus totum statum nostrum, et quibus modis probare possimus ita esse sicut ostendimus, ex fide scilicet et antiquitate divinarum litterarum, item ex confessione spiritualium potestatum. »

Quod autem incredulitas veritatem christianam « non utique divinum negotium existimat, sed magis philosophiae genus », hoc ipsum in argumentum vertitur et tolerandi causam, ex praestantia vitae christianae, c. 46; ex prioritate doctrinae, cujus simplicitatem « scrupulositas humana » corrupit, c. 47. Et nonne magis sunt credibilia quae christiani v. g. de carnis resurrectione docent quam quae philosophi de metempsychosi ? C. 48.

Cur ergo quod in philosophis aut laudatur aut certe toleratur, id in christianis damnatur? C. 49. Ili quidem non pugnandi causa pugnant, sed si pro Deo et aeterno praemio pugnare coguntur, « probatio est... innocentiae nostrae iniquitas vestra..., Nec quidquam tamen proficit exquisitior crudelitas vestra : illecebra est magis sectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum... Illa ipsa obstinatio quam exprobratis magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit; ubi accessit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat?... Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus : ut est aemulatio divinae rei et humanae, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur ». C. 50. Cf. c. 1, ubi innuitur argumentum ex eo quod tot undique ad christianum nomen transgrediuntur, quod ipsum « ad aestimationem alicujus latentis boni » promovere debet animos.

B. In libro *De testimonio animae*. Quod breviter in *Apologetico*, c. 17, appellaverat Tertullianus testimonium animae naturaliter christianae, hic fusius declarat et quasi scrutatur. Longum est, inquit, ex litteris « testimonia excerpere christianae veritatis ». Quin etiam « ne suis quidem magistris, alias probatissimis atque lectissimis, fidem inclinavit humana de incredulitate duritia, sicubi in argumenta christianae defensionis impingunt ». Multo minus nostris litteris annuunt, « ad quas nemo venit nisi jam christianus ». Jam igitur nihil nobis erit cum litteris. « Novum testimonium advoco, immo omni litteratura notius... Consiste in medio, anima... Sed non eam te advoco quae scholis formata... sapientiam ructas. Te simplicem et rudem et impolitam et idioticam compello... Imperitia tua mihi opus est... Ea expostulo quae tecum in hominem infers, quae aut ex temetipsa aut ex quocumque auctore tuo sentire didicisti. Non es, quod sciam, christiana... Tamen nunc a te testimonium flagitant christiani, ab extranea adversus tuos, ut vel tibi erubescant, quod nos ob ea oderint et irrideant quae te nunc consciam detineant. » Secundum haec, ex formulis hujusmodi usitatis : *Quod Deus dederit, si Deus voluerit, Deus bonus est, Deus benefacit, benedicat te Deus, Deus*

videt omnia, Deo commendo, Deus reddet, Deus inter nos judicabit; item ex eo quod daemonium vocatur homo malus aut inimicus; ex eo quod mortui dicuntur miselli, quod vel terram gravem imprecantur et cineri penes inferos tormentum, vel ossibus et cineribus refrigerium comprecantur et ut bene requiescat apud inferos; ex formula : *Abiit jam et reverti debet*, et similibus, testimonium eruitur de uno Deo bono, justo judice; de daemonibus et eorum casu, de vita futura et praemiis vel poenis; quin etiam de resurrectione. C. 3-4.

Quae testimonia cum naturalia sint, eo ipso sunt divina. Unde mirum non est si « eadem canit quae Deus suis nosse dedit ». Quae si quis ab antiquo usu vel a litteris repetat, unde hic usus, unde hoc in litteris profanis, nisi a Deo vel a litteris divinis? C. 5. « Si de tuis litteris dubitas, neque Deus neque natura mentitur. Ut et naturae et Deo credas, crede animae ; ita fiet ut et tibi credas. » C. 9.

C. *Judicium et conclusio.* *a*) Vel ex his apparet quantum tribuat Tertullianus credibilitati rationali. Vide A. d'Alès, p. 33-36. Quod autem aliquando contrarium videtur facere (*Prorsus credibile est, quia ineptum est; certum est, quia impossibile est.* De carne Christi, c. 5), hoc et in formula exaggeratio est rhetorica, et dicitur in controversia inter eos qui jam se Christianos profitentur, et nihil aliud sonat, si quis recte intelligit, nisi transcendentiam divinae virtutis ac sapientiae ad humanam, prout jam Paulus significaverat, et explicat saepe Tertullianus ipse secundum verba Pauli. Vide pulcherrima testimonia apud d'Alès in notis, p. 34, 35. Unde fit ut vel inde motivum credibilitatis exsurgat : « Eo magis credendum, si quia mirandum est idcirco non creditur. Qualia enim decet esse opera divina nisi super omnem admirationem? » *De Baptismo*, c. 2. Non quod valeat solum, sed quod Deo convenire ostendat, si aliunde fecisse constat, ut ipse exponit, *Prax.* 10, apud d'Alès, 35, n. 2.

b) Quae eruit Tertullianus ex animae testimonio et egregia esse et egregie dici nemo negaverit. Porro hoc ipse non applicat fere nisi ad veritatem ordinis naturalis, et si quando etiam quasi innuendo transfert ad ordinem supernaturalem, non fa-

cit nisi ut ostendat analogiam quamdam et convenientiam inter utrumque ordinem. Quod jam et Justinus fecerat, et omnes scriptores christiani, pro rei opportunitate, fecerunt. Hoc autem est proprium Tertulliani in ea re quod id methodice sit exsecutus. In quo apologeticae subjectivae, quatenus haec legitima est, praecursor exstitit (nisi quod ipse in applicatione semel aut iterum excessit).

c) Cetera ejus apologeticae momenta cum Justino fere coincidunt, quin etiam ex Justino sunt, ut videtur, deprompta : appellatio ad rationem, argumentum ex prophetiis et miraculis, ex imperio in daemones, ex prioritate litterarum judaicarum, ut omittam defensiva multa.

d) Argumentum ex virtutibus Christianorum, ex fortitudine martyrum, ex propagatione christianae religionis, ex eo quod odio est dum ignoratur, amatur et accipitur ubi est cognita ; ex eo quod cum ea sola ita agitur ; ex eo etiam quod pagani in iis quae bona habent quasi christiani sunt, in iis quae contra Christianos agunt, aut iis contraria pro veris habent, omnino aratione abscedunt, implicite tantum, si pauca excipias, effertur, etsi satis apparet verum ex iis et similibus momentis exsurgere argumentum, partim negativum (hoc est contra paganos), partim positivum, pro Christianis. Atque hoc maxime valet in iis quae dicuntur de numero Christianorum : « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus... Sola vobis reliquimus templa. » C. 36 ; de illecebris christianae religionis ex martyrio : « Plures efficimur, quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum. » C. 50. In quibus vim nescio quam inesse divinam non poterat non subire videnti et cogitanti suspicio, cum gratia scilicet Dei.

e) Ex his intelligitur non parvas apud eum, etsi non praecipuas in ratione argumenti, esse partes intrinsecae, quae dicitur, apologeticae : ex doctrina, ex moribus, etc.

46. **De processu apologetico Origenis in primo libro contra Celsum.** — A. Missis iis quae ex aliis Origenis scriptis pro credibilitate christianae religionis colligi possunt, ea solum afferimus quae dant libri contra Celsum, quae talia sunt ut facile sit librum ex iis compingere et quamdam quasi

summam apologeticae christianae [1]. Omnia colligere longum est. Nos ea tantem seligimus, quae vel credibilitatem vel credibilitatis motiva respiciunt, prout in prooemio et in primo libro occurrunt, omissis iis quae vel defensiva sunt, vel solam conformitatem fidei nostrae cum ratione et cum dictis philosophorum, vel convenientiam rerum quae in Scripturis narrantur, attingunt [2].

B. *a*) *Ex prooemio.* (Optima ea est apologia quae ex rebus est, et ex virtute spiritus, et ex vita Christianorum). Suaderent potius silentium exempla Christi ad objectas criminationes non respondentis, cum maxime Celsi calumnias redarguat aperte « res ipsa et omni scripto melior doctrina λόγου, quae et falsa testimonia dissipat et nullam accusationibus fidem... relinquit ». 1,644, A. Siquidem « ipse vel nunc ad objecta silet nec voce respondet, sed defenditur (ἀπολογεῖται) in vita genuinorum ejus discipulorum, quippe quae validius clamet, et omnem calumniam vincat ». 2,646, A. « Quam enim suades ut comparem apologiam, haec eam solvit quae in rebus inest apologiam et manifestam eam cuilibet non stolido virtutem Jesu ». 3,646, A. Neque enim « qui in Christum vere credidit ulla movetur sermonis (vel rationis, λόγου) probabilitate, neque indiget libris quibus muniatur contra turbationem in fide ut stet in ea ». 4,648, A. Adjuvandi tamen sunt infirmi in fide, qui non ita sapiunt ut per Spiritum qui in ipsis est hujusmodi criminationes contemnant. 6,650, C.

b) *Ex capite 2.* (Potest demonstrari veritas christiana per dialecticam et rhetoricam; sed divinior est ea demonstratio

1. Fecit hoc Patrick, *The Apology of Origen in Reply to Celsus*, Edinburgh and London, 1892; cf. H. Schmidt, *Origenes und Augustinus als Apologeten*, in *Jahrbücher für deutsche Theologie*, t. VII et t. VIII, 1862-1863. Accuratam totius operis analysim dat K. Werner, *l. c.*, t. I, §§ 48-53, p. 171-211.

2. Testimonia afferimus latine non secundum translationem Vincentii Thuillier, monachi Benedictini, quam suam fecit Carolus Delarue in sua editione, sed prout ipsi ex graeco transtulimus. Columnas indicavimus secundum Migne, t. XI; sed ubi textus differt ab editione quam procuravit Dr Paulus Koetschau, *Origenes Werke*, Leipzig, 1899, hanc secuti sumus. Gallicam translationem dat Migne in *Démonstrations évangéliques*, t. I, cum argumento capitum in Indice ad finem. Nos hic, ad juvandum lectorem, initio uniuscujusque paragraphi, totius paragraphi argumentum damus intra cancellos.

quae est ex ostensione spiritus et virtutis). Postquam ex dictis Celsi hoc conclusit in favorem veritatis christianae, quod « si quis ab hellenicis placitis et exercitiis venerit ad evangelium (ἐπὶ τὸν λόγον), non modo ea judicabit vera, sed etiam exercitatione muniet, et, si quid videbitur deesse quantum ad hellenicam demonstrationem, complebit communiens christianismi veritatem »; addit « esse propriam quamdam demonstrationem evangelii (τοῦ λόγου) diviniorem hellenica illa quae est a dialectica. Diviniorem vero hanc apostolus nominat *demonstrationem spiritus et virtutis* : spiritus quidem, propter prophetias quae valeant cuilibet fidem facere ad ea maxime quae Christum spectant; virtutis autem, propter prodigiosas virtutes quas factas esse demonstrabile est (κατασκευαστέον) cum ex multis aliis, tum ex eo quod harum rerum vestigia etiam nunc servantur apud eos qui secundum praescriptum evangelii (κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγου) vivunt ». 656.

Ex capite 3. (Divina virtute vicerunt Christiani omnia). Postquam dixit de sorte Socratis et Pythagoreorum, haec addit : « In Christianis vero Romanorum senatus, et pro tempore imperatores, et militaria, et populi, et eorum qui credebant cognati, cum bellum indixissent evangelio (τῷ λόγῳ), victum sane hoc impetu tot hominum repressissent, nisi divina virtute superasset et emersisset, ita ut vinceret totum mundum in se conspirantem. » 661, A.

Ex c. 6. (Ejiciunt Christiani daemonia in nomine Jesu). Agnoscit Celsus ejici a Christianis daemonia, sed id magiae tribuit; item miracula Christi. « Verumtamen quamvis non posset demonstrari de Christo quomodo haec fecerit, manifestum est Christianos nulla incantationum arte uti, sed nomine Jesu et similibus rationibus quibus creditur secundum divinam Scripturam. » 668, A. Cf. c. 25,708, A.

Ex c. 9. (Est suus rationi locus in Christianismo, sed divinitus provisa via fidei est, ut sola plerisque obvia). Objicit Celsus Christianis quod dicunt ex iis quidam : « Noli examinare, sed crede » et : « Fides tua te salvum faciet »; et eis hoc tribuit : « Mala est mundi sapientia, bona vero stultitia. » Respondet Origenes non minorem esse locum philosophiae apud Christianos; sed cum pauci philosophari possint, « quam aliam

meliorem methodum ad succurrendum plerisque invenerit quis ea quae est a Jesu gentibus tradita? Et quaerimus quidem de multitudine credentium, qui multam hanc vitiositatis colluviem deposuerunt in qua prius volutabantur, utrum melius sit illis, dum sine ratione credunt (ἀλόγως πιστεύουσιν), reparatos esse moribus et profecisse per fidem de poenis peccatorum et de praemiis bonorum operum, an non aggredi suam emendationem cum simplici fide donec se dederint examini rationum? Si quid igitur aliud argumento est bonitatem logi (τὸ φιλάνθρωπον τοῦ λόγου) non sine Deo vitae hominum succurrisse, et hoc ceteris connumerandum est. Qui enim pius est, ne corporum quidem medicum, qui aegrotantes multos in melius reduxerit, putabit sine Deo urbibus et gentibus succurrisse; nihil enim boni hominibus sine Deo evenit... Quanto magis qui multorum animas curavit, et convertit, et ad melius reduxit, et eas Deo summo devinxit, et docuit omnem actionem referre ad ejus beneplacitum, et omnia vitare quae Deo displicent, usque ad minimum dictum, factum, cogitatum ». 673. Cf. c. 26,709, C.

Ex c. 10 et 11. (Si creditur philosophis, quanto magis credendum est Deo et Christo et apostolis. Cum maxime idem omnes faciant, ut scilicet fidem initio requirant. 10, 673). « Si igitur credere oportet uni cuipiam eorum qui sectas induxerunt..., quomodo non magis summo Deo et ei qui docet eum solum esse colendum?... De quibus qui non modo credit, sed et ratione scrutatur res, tradet eas quae ei occurrerint et quas invenerit ex longa inquisitione demonstrationes. Quomodo non est rationabilius, cum humana omnia a fide pendeant, potius quam illis (philosophis) credere Deo... et ei qui cum praestanti mentis magnitudine et divina magnanimitate ausus est hanc doctrinam (λόγον) proponere omnibus ubique terrarum, cum magnis periculis et morte quae putatur ignominiosa, quae pro hominibus pertulit; quique docuit eos quibus ab initio persuaserat ut ejus discipuli fierent, cum omnibus periculis et mortibus continuo impendentibus, ut auderent quocumque terrarum proficisci pro hominum salute? » 11, 676-677.

Ex c. 18-19. (Multo efficacior fuit doctrina Moysi quam philosophorum vel poetarum). « Sapientium autem poetarum tuorum non videntur libri adhuc exstare, qui servati essent si

qui in illos incidisset sensisset profectum; Moysi vero scripta multos vel ex iis qui a Judaica conversatione (ἀναστροφῆς) erant alieni moverunt ut crederent, secundum eorum librorum praedicationem, eum qui primus leges illas dedisset Moysique tradidisset, esse Deum, mundi conditorem. Decebat enim totius mundi opificem, qui leges dederat toti mundo, virtutem praebere sermonibus suis quae omnes ubique homines posset subjicere. Et hoc dico, nondum de Jesu inquirens, sed ostendens Moysen, multo minorem Domino..., multum praestare sapientibus tuis poetis et philosophis. » 18, 693. « Si objiciet Celsus Platonis de his rebus dialogos, dicemus nobis quoque licere credere in pura et pia mente Moysi, qui omne creatum transcenderat, et creatori omnium sese devinxerat, inhabitasse Spiritum divinum, qui multo evidentius quam Plato et sapientes... res divinas exhibuerit. Si vero poscet a nobis rationes de hac fide, det prior de iis quae ipse sine demonstratione protulit, et continuo probabimus nostra haec ita se habere. » 19, 696.

Ex c. 26. (Mira et vere divina est propagatio christianae religionis et mutatio morum inducta per Christum). Ad hoc quod dicit Celsus Christum paucis ante annis ortum esse, sic respondetur : « Num hoc quod tot annis volens spargere suam doctrinam et instituta (λόγον καὶ διδασκαλίαν) Jesus tantum potuit ut multis terrarum locis addicerentur ad ejus doctrinam non pauci Graeci et Barbari, sapientes et idiotae, et quidem ita ut ad mortem usque pugnarent pro Christianismo, ne eum abjurarent, quod nemo de alio dogmate narratur fecisse, sine Deo factum est? Ego igitur non assentando evangelio, sed tentans considerate examinare res, dixerim ne eos quidem qui multa corpora laborantia curant, sine Deo eo pervenire ut corpora sanent. (Cf. c. 9). Si quis autem et animas posset liberare ab ea vitiorum colluvie, a libidinibus, ab iniquitatibus et a divinorum contemptu, et specimen daret hujusmodi operis ad melius redactos centum homines (sit enim de tot hominibus numerus), hunc nemo rationabiliter dixerit sine Deo remedium tantorum malorum liberativum fecisse his centum. Si porro qui prudenter haec recogitat, concesserit nihil boni inter homines fieri sine Deo, quanto plus id tantum de Jesu fidenter

demonstrabit, comparans multorum qui ejus doctrinae adhaeserunt pristinos mores cum posterioribus, et cogitans quantis in spurcitiis, quantis iniquitatibus et cupiditatibus eorum unusquisque esset antequam, ut dicit Celsus et qui idem cum eo sentiunt, decepti sint et acceperint doctrinam eam quae perdit, ut illi dicunt, humanam vitam; ex quo vero suscepere doctrinam, quomodo facti sint aequiores et graviores et firmiores, ita ut eorum quidam ob amorem eximiae puritatis, et quo purius divinum cultum exerceant ne concessis quidem per legem utantur voluptatibus. » 709-712.

Ex c. 27. (Majora humanis ausus est Jesus et perfecit). « Si quis autem res examinaverit, videbit majora humana natura ausum esse Jesum, et ut ausus est perfecisse. Cum enim cuncta ab initio obsisterent ne spargeretur ejus doctrina in terras, et pro temporibus reges et sub illis militiae praefecti et duces, et quicumque, ut ita dicam, aliqua esset protestate praeditus, et qui in civitatibus praeerant. et milites et populi, vicit, cum non ea esset quae impediretur, ut doctrina Dei ὡς λόγος θεοῦ), et tot antagonistis facta fortior, totam Graeciam, et majorem barbariae partem subegit et convertit innumeras animas ad suam religionem... Neque solos rudes dicit (Celsus) per doctrinam (ὑπὸ τοῦ λόγου) adductos esse ad Jesu religionem (τῇ κατὰ Ἰησοῦν θεοσεβείᾳ); fatetur enim et moderatos et aequos et prudentes quosdam et ad allegoriam paratos esse inter eos. » 712-713.

Ex c. 28-31. (Divinum aliquid esse in Christo monstrat ejus victoria talibus mediis). Cum autem inducat Celsus Judaeum qui in Christo multa reprehendat ut indigna, « mihi, inquit Origenes, qui nihil possum non examinatum relinquere eorum quae ab infidelibus dicuntur, sed fundamenta rerum probo. videntur conspirare ad hoc dignum fuisse prophetice dicto esse filium Dei Jesum ». 28, 713. Quomodo enim Jesus hac origine, ita institutus, « non edoctus artes et principia (λόγους καὶ δόγματα) », quibus fidem faceret et auditores sibi conciliaret, « dat se ad docendum nova dogmata, inducens generi hominum doctrinam (λόγον) quae Judaeorum instituta dissolvit, dum venerationem conciliat eorum prophetis, et Graecorum leges maxime de divinis evertit » ? Quomodo potuit talem doctri-

nam ita docere, ut « non modo agrestes et rudes allicerentur dictis, sed non pauci etiam ex prudentioribus »? Quomodo « potuit commovere totam hominum terram, non modo magis quam Themistocles ille Atheniensis, sed magis quam Pythagoras et Plato et quilibet eorum qui ullibi unquam fuerunt sapientium vel regum vel imperatorum »? 29,716. « Quis igitur non negligenter considerans rerum naturam non miretur eum vicisse et superasse gloria omnia quae faciant inglorium et omnes unquam gloriosos? Et quidem qui inter homines gloriosi sunt raro fit ut ad multa simul gloriam possint comparare... Ipse autem, praeter cetera, admirationi est et de sapientia, et de virtutibus (miraculis), et de arte gubernandi. » Adde quod « mors illa... ignominiosa crucis satis erat et jam partam gloriam delere et eos qui (ut putant qui ejus doctrinam non suscipiunt) jam decepti erant, ab errore reducere et condemnare deceptorem ». 30, 716-717. « Praeterea miretur quis unde venerit in mentem discipulis ejus qui (ut dicunt obtrectatores Jesu) non eum vidissent redivivivum a mortuis nec credidissent eum divinius aliquid esse, ut non modo non timerent eadem quae magister pati, sed etiam occurrerent periculo et relinquerent patrias suas ad docendum, secundum Jesu voluntatem, traditam sibi ab eo doctrinam. » 31, 717.

Cap. 34-37, tangitur argumentum ex prophetiis, et ostenditur fuisse prophetas apud Judaeos vel ex eo quod nullam divinandi artem habebant.

Ex c. 38. (Neque Christi neque apostolorum miracula magiae tribui possunt). Quod dicit Celsus Christum in Ægypto magiam didicisse et miracula ejus magiae tribuit, « ego vero, inquit Origenes, non video quomodo magus conatus sit doctrinam docere quae praeciperet omnia facere tanquam Deo judicante unumquemque de singulis factis, et ita institueret ejus discipulos, quibus usurus erat ministris sui magisterii. Num enim illi ita edocti facere miracula capiebant auditores, an miracula non faciebant? Dicere eos nullo modo fecisse miracula, sed nullis confisos verborum suppetiis, quales fere dat dialectica Graecorum peritia, incubuisse ut novam doctrinam docerent ubicumque ituri essent, est omnino absurdum. Qua enim fiducia docebant hanc doctrinam et novatores agebant?

Sed si miracula et illi faciebant, quam fidem habet magos in tot pericula proruisse ob (διά) ejusmodi doctrinam quae magiam vetat? » 733.

Ex c. 43-44. (Quam dignus sit fide Jesus, vel ex suis vel ex suorum operibus). Judaeum illum Celsi fictitium urget Origenes, ex eo quod credit Isaiae aut Ezechielis visioni. Quibus enim magis credendum est, illis an Jesu? « Illorum enim opus nihil tale invenitur; hujus autem bona opera non ipsis solum ejus corporeae conversationis temporibus exstiterunt, sed adhuc Jesu virtus manet operans conversionem et profectum in iis qui per ipsum credunt Deo. Manifestum vero argumentum ejus virtute haec fieri est, ut ipse dicit et re probatur, quod cum non sint operarii qui messem animarum operentur, tanta sit messis eorum qui conferantur et colligantur undique in areas Dei et Ecclesiae. » 43, 741. Unde apparet quam dignus sit fide ipse Jesus. 44, 741.

Cap. 45. Narrat Origenes quomodo Judaeis ipse ostenderit iisdem rationibus fundari fidem in Moysen vel prophetas et fidem in Christum.

Ex c. 46. (De miraculis Apostolorum; et nunc similia fieri). « Non enim sine miraculis et portentis movebant eos qui novas doctrinas audiebant, ut relinquerent patria et reciperent vel cum periculis mortis eorum doctrinas. Et nunc quoque vestigia sancti illius Spiritus, qui apparuit in specie columbae, apud Christianos manent: ejiciunt daemonia, et multas sanationes operantur, et vident quaedam secundum voluntatem verbi de rebus futuris. Et licet irrideat Celsus... dicetur tamen hoc: multi ut inviti venerunt ad christianismum, Spiritu quodam convertente subito eorum mentem (τὸ ἡγεμονικόν) ad odio evangelii (τοῦ λόγου) ad mortem pro eo, dum mittit in eorum phantasiam visum vel somnium; multa enim hujusmodi novimus », quibus « ipsi adfuimus et ea vidimus. Testis est Deus conscientiae nostrae, velle nos non falsis narratiunculis, sed per evidentiam quamdam variam confirmare divinam Jesu doctrinam ». 46, 745.

Ex c. 47. (Divina est propagatio christianae religionis, cum tali morum mutatione). « Cujus divinitatis testes sunt tot transeuntium a colluvie vitiorum ecclesiae, et adhaeren-

tium Demiurgo, et omnia referentium ad hoc ut ei placeant. » 748, B.

Ex c. 49. (Argumentum ex prophetiis). « Nescio quomodo maximum pro Jesu argumenti caput, quod nempe praenunciatus est per Judaeorum prophetas, per Moysen et eos qui post eum vel etiam ante fuerunt, praetergreditur (Celsus) consulto, ut qui, puto, non potuerit recurrere ad hanc rationem quod neque Judaei neque quotquot sunt sectae velint praenunciatum esse Jesum. » 752.

Cap. 50-57, ostenditur applicatio prophetiarum ad Christum et ad eum solum. Cf. l. 2, c. 51, ubi agitur de prophetiis a Christo factis.

Cap. 58-60, fit argumentum ex stella quae Magis apparuit.

Ex c. 62. (Argumentum ex apostolis). « Qui prudenter et candide potest examinare quae spectant apostolos Jesu, ei apparet divina virtute docuisse eos christianismum et subjecisse homines verbo Dei. Non enim vis dicendi et ordo orationis secundum dialecticas Graecorum vel rhetoricas artes erat in iis subjiciens auditores... Nunc autem cum videt quis piscatores et publicanos ne primas quidem litteras edoctos... fidenter non modo ad Judaeos contionari de fide in Jesum, sed etiam in ceteris gentibus praedicare eum, et quidem prospere, non quaerat unde illis haec vis persuasiva?... Et quis non dixerit verbum suum... divina quadam virtute in apostolis suis implevisse Jesum? » 776. Quae est etiam doctrina Pauli, et erat praenunciatum. « Propterea virtute replentur qui verbum cum virtute annunciatum audiunt, quae ostenditur et affectu et vita et certando ad mortem usque pro veritate. » 776.

Cap. 63. Argumentum ex conversione Pauli, de quo nihil Celsus, cum videret apologia indigere quod Paulum spectat. 777.

Cap. 64. Argumentum ex mutatione morum affertur, non tamen hic urgetur pro veritate doctrinae, sed ut ei tribuatur « si non veritas, saltem utilitas ». 791.

Ex c. 67-68. (De miraculis Christi). « Ostendant nobis Graeci... tale opus quod fidem faciat fabulae illi de illis (an-

tiquis heroibus) genitos eos esse ex divino semine. Sed nihil ostendent, neque paulo minora his quae exhibuit Jesus. Nisi scilicet ad fabulas nos amendent Graeci et ad suas historias, volentes nos illis quidem sine ratione credere, his autem etiam valde manifestis non credere. Asserimus ergo nos hoc : opus Jesu tota habet terra, ubi adsunt ecclesiae Dei per Jesum ex iis qui conversi sunt ab innumeris malis. Et nunc quoque nomen Jesu insanias hominum reprimit, et daemones, et etiam morbos ; efficit autem miram quamdam mansuetudinem et compositionem morum et humanitatem et bonitatem et comitatem in iis qui... recipiunt ex animo doctrinam de Deo et Christo et futuro judicio. » 67, 785. Non negat quidem Celsus Christi miracula, sed Jesum inter praestigiatores computat. Quasi non omnino intersit. Magi enim « non possunt aut ne volunt quidem operari ea quae spectant emendationem hominum, cum pleni sint ipsi turpissimis... vitiis, ille autem per ea quae mira faciebat, ad morum correctionem spectatores dum vocat, quomodo non putandus est praebuisse se non modo genuinis ejus discipulis, sed etiam reliquis exemplum optimae vitae?.. Si autem talis fuit Jesu vita, quomodo quis eum rationabiliter cum secta magorum conferat, et non, secundum promissionem, Deum esse credat in humano corpore se manifestantem ut bene faceret generi nostro? » 68, 788.

C. Ex his haec fere habemus. *a*) Origenes, cum Christianos maxime habeat ob oculos, saltem in prooemio, eosque intendat a Celsi calumniis praemunire, extollit praecipue eam fidei firmitatem quae est ex mente ac vita vere christiana et ex virtute Spiritus sancti, eamque habet pro reali quadam apologia quae formali longe praestet. Non tamen suam vim huic quoque denegat, neque alteram ab altera sejungit. Quin etiam nervose Judaeos inde urget et ostendit esse inexcusabiles quod neque Christianorum argumenta valeant solvere, neque veritatem christianam velint admittere. *Contra Celsum,* l. 2, c. 38, col. 860.

Item esse philosophiam quamdam christianam contendit, quae vel philosophis arte dialectica probari queat, sed vim defensionis ac demonstrationis christianae non inde potissimum

repetit, sed ex factis in quibus eluceat virtus divina. Quanquam vero non explicite motiva credibilitatis proprie dicta ab intrinseco doctrinae examine distinguit neque fidei credibilitatem ab ipsa fide, virtualiter tamen id facit, et si quando dicit simplices credere sine ratione (ἀλόγως), vel hoc ipsum non sine ratione esse ostendit, cum in eo summum Providentiae beneficium agnoscat, et sine Deo non fieri asserat.

b) Facta quibus Origenes maxime arguit divinum aliquid inesse in Christianismo, haec sunt maxime : prophetiae, quas capitale argumentum esse dicit, sive eae sunt de Christo sive sunt Christi; miracula vel Christi, vel apostolorum, vel Christianorum (inter quae sunt sanationes et ejectio daemonum), quae a magia distinguuntur maxime ex consideratione morali; conversio mundi cum mirabili morum mutatione, vel efficacia praedicationis Christi et apostolorum contra omnes difficultates, sine ullo subsidio humano, ut vel ex hac improportione mediorum ad finem appareat ibi esse digitum Dei. Hanc vim apologeticam facti christiani strenue extollit Origenes. Persona etiam Christi suas partes habet in hoc facto, et quidem majores quam apud ceteros apologetas qui ante exstiterant.

c) Inest etiam apologetica quaedam implicita in rebus ipsis, ut dicit Origenes : in sinceritate, in virtutibus Christianorum, in eorum firmitate; item in inanitate eorum quae objiciuntur, in conformitate christianismi cum ratione et vera philosophia, in ordine Providentiae; item in gravitate et sinceritate dicentis, in ejus studio veri et pulchri, etc.

d) Condiciones morales ut quis rite haec momenta apologetica perspiciat, non raro indicantur : ut quis prudenter et candide res consideret, ut de Providentia Dei recte sentiat, ut de vero hominis bono rite judicet, etc.

N. B. — Quaedam ex his ita pulchre expressit Origenes ut non sit mirum inserta esse a Gregorio et Basilio in *Philocaliam*.

47. De processu apologetico apud Cyprianum. — A. Cyprianus, in epistola quae dicitur *Ad Donatum*[1], etsi

1. Migne, 4, col. 191-223. Utrum haec epistola sit proprie dicta quidam dubitant, et quidem non sine causa.

apologetice non dicit, alloquitur enim, ut videtur, Christianum, tamen quaedam dat ad apologeticam utilia, ex experientia scilicet vitae christianae. « Accipe non diserta sed fortia,... ad divinam indulgentiam praedicandam rudi veritate simplicia. Accipe quod sentitur antequam discitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiae maturantis hauritur. » C. 2.

« Ego cum in tenebris atque in nocte caeca jacerem... veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque, in novam vitam lavacro aquae salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, et corporis licet manente compage hominem animo ac mente mutaret. Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio?... » C. 3.

« Haec egomet saepe mecum... Sed postquam undae genitalis auxilio, superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit... mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse coepisse quod jam spiritus sanctitas animaret. » C. 4. Cf. c. 14 : « Ut sponte sol radiat, dies luminat, fons rigat, imber irrorat, ita se spiritus caelestis infundit. Postquam auctorem suum, caelum intuens, anima cognovit, sole altior et hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit quod esse se credit. »

B. Haec eo fere videntur reduci ut inde appareat hominem sine gratia non posse legem naturalem observare, cum ea posse : quae jam vidimus apud Paulum, *Rom.* 7, 15, 25. Atque hoc potest esse utile ad apologeticam. Sed nihil hinc deduci potest pro ejusmodi apologetica quam aliqui videntur praedicare, quae huc reducitur : Primum vive christiano more, ita vivendo disces experientia propria verum esse quod tibi credendum proponitur. Quanquam haec experientia aliquo modo confirmat vera esse quae credimus et ea quasi ab intellectu in totum hominem diffundit. Nihil enim magis fidem nutrit et radicat in nobis quam perfecte esse quod esse te credas.

48. **De processu apologetico in Recognitionibus Clementinis.** — L. 1[1]. A. Inducitur Clemens Romanus, narrans quomodo ad fidem devenerit. « Inerat, inquit, mihi comes optima, quae me quiescere non sineret, immortalitatis cupido. » 1, 1207.

« Philosophorum frequentabam scholas... Et si quando quidem obtinebat hic sermo, quod immortalis esset anima, gratulabar; si quando vero arguebatur quasi mortalis, cum tristitia discedebam. Neutrum tamen in corde meo firmitudinem veritatis tenebat. » 2, 1208.

« Fama quaedam... pervenit ad nos... annuntians quod esset quidam in Judaea qui... regnum Dei evangelizaret Judaeis, idque percepturos diceret eos qui mandatorum suorum et doctrinae instituta servassent. Ut autem sermo ejus fide dignus ac divinitatis plenus esse crederetur, virtutes multas et signa ac prodigia mira efficere jussione sola dicebatur. » 6, 1210. Interea praedicabat Barnabas Romae evangelium Christi. « Sequi eum coepi et audire quae diceret. Intelligebam sane quod nihil dialecticae artis esset in homine, sed simpliciter et absque ullo dicendi fuco, quae audisset a Filio Dei vel vidisset, exponeret. Assertiones enim suas non argumentorum virtute muniebat, sed verborum vel mirabilium quae annuntiabat testes multos, ex ipso etiam circumstante populo, producebat. » 7, 1211.

Cujus simplicitatem sermonis cum aliqui irriderent : « Nos, inquit, ejus qui misit nos verba factaque mirabilia annuntiare vobis in mandatis habemus, fidemque eorum quae dicimus non ex argumentis arte quaesitis, sed ex vobis ipsis productis testibus confirmare... Sit autem in vestra potestate vel recipere quae annuntiamus vel spernere. Nos enim quod expedire vobis novimus tacere non possumus, quia nobis si taceamus damnum est, vobis vero quae dicimus si non recipiatis pernicies. Sed et stultis propositionibus vestris respondere perfacile possim, si veritatis discendae causa quaereretis... Sed nunc de creaturis dicere vobis aliquid absurdum est, cum a vobis ipse omnium

1. Allegatur textus latinus secundum translationem Rufini, Migne, *P. G.*, t. I, col. 1207-1248. Numerus prior est capitis, alter columnae. Non afferuntur haec pro auctoritate scripti, sed pro documenti valore

creator et conditor ignoretur. » 8, 1211. « Omnes simul risum dederunt... Ego vero silere non potui : Rectissime Deus, inquam, omnipotens abscondit a vobis voluntatem suam, quos agnitione sui praevidit indignos... Ridetis salutis vestrae ministros et nuntios, ignorantes quia vestra... condemnatio est quod apud agrestes et barbaros habetur veritatis agnitio. Quae cum ad vos advenerit, nec quasi hospita suscipitur, quae... civis esse et vernacula debuisset. » 9, 1211-1212.

Postea adit Petrum, qui ei exponit cur « voluntas Dei et consilium » lateat homines. Unde fit ut nunc « verus propheta... solus illuminare animas hominum » possit... « Et ideo ante omnia fidem prophetae omni cum examinatione oportet probari; quem cum cognoveris vere esse prophetam, de reliquo cuncta ei credas oportet, nec ultra discutere eum per singula quae docuerit, sed habere firma et sancta quae dicit, quae quamvis fide suscipi videantur, antehabita tamen probatione creduntur. Cum enim semel ex initio prophetae veritas examinata constiterit, reliqua demum fide audienda sunt et tenenda, qua[1] cum doctorem veritatis esse jam constat. » 16, 1215. « Et his dictis, tam mihi aperte et tam dilucide quis iste esset propheta et quomodo inveniretur exposuit, ut ego mihi ante oculos habere et manu contrectare viderer probationes, quas de prophetica veritate protulerat. » 17, 1215. Tum Clemens ad Petrum : « Certum est apud me quia quicumque hominum hanc de vero propheta acceperit rationem, dubitare ultra de veritate nullatenus poterit. Adversus prophetiam etenim neque ars ulla stare sufficiet, neque sophismatum syllogismorumque versutiae. Sed omnis qui audierit de vero propheta, necesse est ut statim desiderium capiat ipsius veritatis, nec ultra sub occasione veri quaerendi diversos patietur errores. » 18, 1216.

Similia, c. 25, 1221 : « Cum mihi tradideris de vero propheta sermonem, omni me assertionum firmitate roborasti... Jam tanquam scienti quae sint fundamenta fidei et pietatis, veri prophetae traditiones incunctanter expone, cui soli credendum esse evidenter probatum est. » Item, 74, 1248. De Christo Petrus haec : « Adest qui exspectabatur, indicia sui, quibus fieret

1. Sic apud Migne ; melius intelligeretur *quia*.

manifestus, signa et prodigia deferens. » 40, 1230. Porro, si quis de figurae impletione dubitat, « quid de signis et virtutibus dicet quae iste faciebat? » 41, 1231. Cf. 57, 1239. De opere apostolorum : « Verumtamen veritas ubique vincebat. Ad indicium enim quod haec divina virtute agerentur, nos, qui fueramus paucissimi, processu dierum adstipulante Deo multo plures quam illi (*Judaei*) efficiebamur. » 43, 1232.

Distincto duplici adventu, altero humili, altero glorioso : « Fides... secundi adventus constat ex primo. Prophetae enim de primo locuti sunt...; nonnulli... etiam de secundo. Sed magnificentia prophetiae in hoc maxime comprobatur, quod nihil secundum consequentiam rerum de futuris dixerunt; alioqui aestimasse potius sapientes viri quod rerum consequentia dictaverat viderentur. » 49, 1235. Porro praenuntiata erat fides Gentilium in eum et incredulitas Judaeorum : « Et in hoc maxime ejus confirmatur adventus ; quod ei non omnes credunt. » 50, 1236.

Petrus cum Caipha disputans, argumentum ex probabilitate et periculo, ad hominem scilicet, adhibet : « Mihi minus esse periculi si... iste non sit Christus... ipsi vero ingens esse discrimen, si is ipse sit Christus, sicut et certe est. Ego enim credo huic qui apparuit ; ipse autem cui alii fidem servare se credit, qui nullus apparuit? » 62, 1241. Adversus Judaeos ostendit Philippus valere miracula Christi ut et Moysi. Si enim Judaei dicunt : « Jesus vester signa et prodigia quae fecit, ut magus non ut propheta fecit » dubitari non potest quin « quod de Jesu diceretur, hoc etiam de Moyse dici videretur ». 58, 1239.

Jacobus, cum Caipha disputans, argumentum dat de prophetiis in Christo adimpletis, 68 et 69, 1244.

B. *a*) Vel ex his paucis apparet quomodo tertio fere saeculo intelligeretur processus apologeticus quo demonstrabatur veritas religionis christianae vel Judaeis vel Paganis. Hæc enim est intentio hujus fabulae, saltem libro primo.

b) Porro hic non modo dantur exercite motiva credibilitatis, neque defenditur tantum eorum valor, sed etiam fit quasi ejus theoria, ut bene advertit Gardeil, *Crédibilité*, l. c., col. 2242, et explicite distinguitur duplex processus : fidei in prophetam, et, per fidem in prophetam, fidei in ejus doctri-

nam, non quatenus spectantur interni tituli singulorum articulorum, sed quatenus ex fide in prophetam sequitur fides in ea omnia quae is docuerit.

c) Magnae partes etiam dantur dispositioni morali, ut fere is suscipiat veritatem rite propositam qui sit rite dispositus. is non suscipiat qui secus.

d) Motiva credibilitatis quae hic videmus adhiberi eadem sunt quae toties jam deprehendimus : miracula, prophetiae, successus apostolicae praedicationis, et similia. Alia etiam afferuntur momenta, sed non ut fidem facientia.

e) Quod haec omnia ita simpliciter et, ut ita dicam, ἰδιοτικῶς in hac fabella exhibentur. eo magis inde apparet valor hujus documenti repraesentativus.

49. **De processu apologetico apud Eusebium**. — A. In *Praeparatione evangelica*. Eusebius directe intendit dare « demonstrationem evangelicam » contra eorum criminationem qui dicunt pro christianismo qui tanta bona mundo intulit, nullam rationem afferri, sed sola fide teneri, neque ullam adesse demonstrationem de ejus veritate. Sed priusquam hanc demonstrationem aggreditur, Graecis respondendum est qui conversis objiciunt suam a patriis institutis defectionem [1]. Porro sufficiens demonstratio est ex re ipsa, cum religio christiana, secundum Christi prophetiam, toto sit orbe diffusa, et stet contra omnes omnium incursus, et sua luce, ut sol, omnia illuminet : « Quis enim, non tribuat veritatem prophetiae cum res ipsae tam manifeste quam sine voce possunt ostendant divinam hanc esse vim, non humanam naturam, quae haec ita futura priusquam fierent viderit, et praedixerit, et opere compleverit. » Ad haec autem omnia non parva est veritatis nostrae demonstratio id quoque quod est a litteris hebraicis testimonium, in quibus ante tot annos Hebraeorum prophetae bonorum promissionem omni mortali vitae praenuntiantes, nominatim de ipso Christo mentionem fecerint et ejus ad ho-

1. L. 1, c. 1; Migne, *P. G.*, t. 21, col. 25-27; translatio, ubi datur, nostra est. Translationem gallicam dat Migne in *Démonstrations évangéliques*, t. 1.

mines adventum vaticinati sint[1]. » Accedit et vis divina de omni adversa potestate victrix in evangelii propagatione, et mira morum ab omnibus vitiis ad omnem virtutem mutatio[2].

Quod autem fide primum sunt plerique ab idololatria et a vitiis ad cultum veri Dei et ad vitam honestam ac beatam adducendi, hoc ipsum fit secundum rerum naturam et ordinem providentiae, cum pauci possint intimas rerum rationes scrutari[3]. Sed rationem dare possumus. Sic autem faciemus ut antequam Judaeis per prophetias ostendamus recte nos eorum litteris uti, et tamen ad eorum instituta non accedere, Graecis primum ostendamus recte nos ab iis discessisse, idque ex propriis eorum documentis et examine doctrinarum[4]. Quod fit toto opere.

Vide etiam l. 15, c. 1, M. 1293-1297, ubi Eusebius et suum intentum et rationem procedendi rursus explicat. Cf. l. 1, c. 3, M. 32, ubi ostendit quomodo ipse inductus sit ut ita procederet, et quomodo suum opus a ceterorum scriptis differat.

B. In *Demonstratione evangelica*. Hic ostenditur per prophetas praenunciatam esse totam praedicationis evangelicae rationem et quae Christum spectant, et quae Judaeorum ruinam et quae christianae religionis propagationem et victoriam[5], ut respondeatur criminationi Judaeorum uti nos eorum libris et tamen ad eorum instituta non accedere. Porro, ut in *Praeparatione* factum christianum prout ex prophetiis dignoscebatur ample et pulchre indicaverat priusquam ad probandam suam thesim procederet, hic etiam christianismum cum ab ethnicismo tum a judaismo distinguit, et naturam novae legis diligenter considerat antequam argumenta ex prophetis in ejus favorem colligit[6].

Porro in libro 2 ea colligit ex Prophetis testimonia quibus evincatur non minus Gentilibus quam Judaeis fieri promis-

1. L. 1, c. 3; M., col. 33.
2. L. 1, c. 4, col. 36-41.
3. *Ibid.*, c. 5, col. 44, 45.
4. *Ibid.*, c. 5 et 6, col. 48.
5. L. 1, prooemio c. 1; M., t. 22, col. 16-20. Translationem gallicam dat Migne in *Démonstrations évangéliques*, t. 2.
6. L. 1, c. 1, ad f.; M., col. 21; de qua re est totus liber 1, c. 1-10; cf. l. 3, prooemio, M., col. 163.

siones de bonis messianicis, c. 2; immo Judaicis ritibus substitutum iri meliorem cultum, c. 3. ad quem pauci e Judaeis sint accessuri, c. 4.

In libro 3. primum ostenditur multa dici a Prophetis quae soli Christo conveniant et ejus operi, c. 1-2, M. 165-188; deinde, antequam transitur ad ejus diviniora opera, respondetur criminationibus incredulorum, ostendendo eum seductorem non fuisse, qui tam utilia praecepta dederit, tam pulchram doctrinam intulerit, c. 3, M. 188-196; nunc agitur de ejus miraculis, c. 3, M. 196-197, et ostenditur vera esse quae ab ejus discipulis narrantur, c. 5, M. 197-221; neque eum fuisse praestigiatorem, c. 6, M. 224-236; inesse vim divinam in praedicatione evangelica, c. 7, M. 236-248. In reliquis libris, 4-10, ea ex prophetis colliguntur quae vel doctrinam de Christo vel vitam ejus spectant.

C. Ex his haec fere habemus. *a*) Nihil fere novi affert Eusebius, hoc scilicet sensu quod praecipua momenta apologetica quae apud eum exstant jam apud Originem aut alios reperiuntur. Sed hoc habet proprium quod ex professo librum de *demonstratione evangelica* et de *praeparatione* ad eam scripsit in quo diligenter vel ex ethnicis scriptoribus vel ex prophetis ea collegit quae possent ad hanc demonstrationem conferre.

b) Credibilitatem christianae religionis egregie extollit. et ostendit non sine ratione nos credere; bene etiam, post Origenem, ordinem Providentiae ostendit in eo quod plerisque veritas Evangelii per modum simplicis fidei debet proponi, quae fides, etsi ἄλογος potest dici quatenus rationes rerum intrinsecas non scrutatur, est tamen valde rationalis quatenus utitur medio per Providentiam Dei praeparato ad dandam omnibus fidem.

c) Argumenta ea fere sunt quae vidimus vel apud Justinum vel apud Origenem, sed magis ad ordinem redacta et in summam quamdam doctrinae compacta : prophetiae, miracula, propagatio christianae religionis et mutatio morum per Christum et apostolos inducta.

d) Praeparatio evangelica. qualem intelligit Eusebius, non tam videtur esse in conformitate quadam et analogia inter doctrinas Christianorum et Paganorum, quanquam hoc etiam

utitur Eusebius argumento ut monstret veteres a prophetis Judaeorum quaedam hausisse, quam in insufficientia philosophiae ethnicorum ad comparandas notiones veras, certas, uniformes, de Deo, de condicione humanae vitae, etc. Ex quo sequatur necessitas quaedam moralis revelationis divinae et fidei ad verum assequendum et vitam honestam.

50. **De processu apologetico in opusculo : « Quod Christus sit Deus ».** — Hoc opusculum potius, ut videtur, quam homilia, etsi pro homilia dat scriptor, inter opera S. Joannis Chrysostomi circumfertur et ei solet adscribi[1].

« Si dixerit Gentilis : Unde manifestum est Christum esse Deum (hoc enim ante omnia praestituere oportet, utpote cum cetera inde consequantur) », non a creatione, non a miraculis, non a vita futura aut resurrectione « demonstrationem petemus ». Non enim admittet. « Unde igitur, maxime si idiota sit, illum instituemus? Unde... nisi ex iis quae apud me et illum in confesso sunt, nec in dubium vocari possunt... Quaenam igitur sunt quae Christum fecisse Gentilis ipse fatetur, neque negare potest? Quod Christianorum genus ipse fundaverit : neque enim illud negaturus est quod universas per orbem Ecclesias condiderit. Hinc ejus potentiae argumentum ducemus, et ostendemus ipsum vere Deum esse; dicemusque non esse puri hominis tantum orbem... tam brevi tempore pervadere et ad res tantas evocare; cum maxime tam absurdis moribus assueti homines essent et tot malis irretiti. Et tamen potuit ille humanum genus ab his omnibus liberare... Haec porro fecit, non armis usus... sed principio per undecim viros... Persuadere potuit... ut non de praesentibus tantum, sed etiam de futuris philosopharentur... Haec vero facere potuit, dum oppugnaretur ab omnibus. » Et tamen « quotidie praedicatio crescit ». Neque idiotae tantum, « sed illi ipsi qui diademate redimiuntur crucifixo magna cum fide subditi sunt ». C. 1 et 2,

1. Unus, quod sciam, rem ut valde dubiam habet P. Batiffol. Opusculum est apud Migne, t. 48, col. 813-838; illud edidit Hurter latine inter *Selecta Patrum opuscula*, t. 15. Nos, si quid ex eo ad verbum dabimus, afferemus, secundum translationem quam paravit Montfaucon, quae accurata visa est.

813-814. Postea demonstratur haec diu ante esse praedicta, et demonstratur quidem ex ipsis libris Judaeorum qui ipsum crucifixerunt... Et prout praedictum erat, ubique regnat « pax Christi ». C. 2-8, 814-824.

Non ita fit in rebus humanis. « Nam viventibus iis qui gloria fruuntur, res eorum florent; iis vero mortuis pereunt et omnia. » Christo « ante crucem in luctu res erant ». Postquam in cruce mortuus est, ab omnibus ubique adoratur. « Quodque mirabile dictu est, id non ipsi tantum, sed etiam discipulis ejus contigit. » Quantus honor apostolis Romae, Constantinopoli; quantus honor ipsi cruci! C. 9-10, 825-827.

Quod vero non omnes credunt, quod Judaei ipsi increduli remanent, « hoc non est crimen ejus cui non creditur, sed eorum magis qui in meridie caecutiunt ». Sicut sunt qui non agnoscant Deum in admirabili hoc mundi opificio. « Quemadmodum enim bene affectus animus quid facto opus sit videt... sic imprudens ac stupidus... affectibus praeoccupatus, in caecitate perseverat. » C. 11, 828.

Christus ipse miracula fecit et prophetias, ut per miracula de rebus futuris fidem faceret auditoribus, nobis autem, « ex eventu praedictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita : atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens de iis quae ad regnum pertinebant ». C. 12, 829.

Porro inter has Christi prophetias eminet haec : *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Porro videmus ita esse. Et quidem per undecim illos, cum omnes et omnia obstarent, tanta mutatio inducta est. « Magna sane est, immo summae magnitudinis et divinae virtutis argumentum. » C. 12, 830. « Quomodo igitur talis tantaque res, tot oblatis impedimentis, tam conspicuum finem habuerit, et exitum veritati fidem facientem, nisi divina quaedam et invicta virtus esset ejus qui haec praedixit et perfecit? » C. 15, 833.

Tractatur alia Christi prophetia de ruina Judaeorum et excidio Jerusalem, quam item videmus impletam et confirmatam, cum frustra Judaei temporibus Juliani eam reaedificare tentarunt. C. 16, 834-835.

Argumentum ex miraculis Christi etiam indicatur. « Non

tibi dixi mortuos suscitatos, vel leprosos mundatos, ne diceres haec mendacia esse, fastum et fabulas. Quis vidit? Quis audivit? Iidem ipsi qui narrarunt crucifixum... illi etiam haec dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in istis vero dicta reprehendis quasi haec gesta non sint? » C. 17,836.

Sed id non vult urgere. « Verum ego nihil horum apud te commemorans, signa, inquam, et miracula, ut ex abundanti omnem impudentis linguae furorem compescam, ea quae nunc videntur, quae prae omnium oculis posita sunt, quae sole clariora, quae ubique in toto orbe dispersa, quae universum occupant mundum, totamque naturam excedunt, gesta quae unius Dei sunt, ea, inquam, in medium adduxi. » C. 17, 837.

B. Argumentum hic evolvitur, et eloquenter quidem, ex facto christiano, quod ob oculos versatur. Quod factum ostenditur esse divinum cum ex improportione mediorum ad finem, tum ex ipsis prophetiis quibus praenuntiabatur. Fit autem applicatio specialis in duplici prophetia Christi, altera de sua Ecclesia et de ejus invicta stabilitate, altera de ruina Judaeorum et excidio Jerusalem. Argumentum ex miraculis Christi non respuit quidem scriptor, sed non vult hic urgere, ut idiotam ex iis quae ipse videt convincat. Atque hoc est proprium hujus opusculi quod vis demonstrativa rei praesentis et visibilis pulchre effertur.

51. **De processu apologetico Theodoreti in libro qui inscribitur Hellenicarum curatio affectionum**[1]. Theodoretus, etsi ordine chronologico post Augustinum venit, hic tamen ponitur, cum totus Graecus sit et seriem graecam continuet.

Hoc opus, quod inscribitur quoque *Evangelicae veritatis ex Hellenica philosophia cognitio*, ad Eusebii *Praeparationem evangelicam* aliquo modo accedit, quatenus ex scriptis Gentilium veritatem evangelicam confirmat, idque duplici potissimum ratione : ex analogia doctrinae, quatenus ostenditur nihil nos credere quod non aliquo modo ex philosophis graecis

1. Apud Migne, *P. G.*, t. 83, col. 783-1152, secundum Thomae Gaisford editionem Oxoniensem, 1839. Translatio, si quid hic allegatur, nostra est.

comprobetur; ex differentia doctrinae, quatenus ostenditur nostra praestare Gentilibus. Porro ad rem nostram maxime pertinet disputatio prima, quae de nostrae fidei ratione deque apostolorum inscitia rationem reddit (ἀπολογίαν ποιεῖται). Primum vero curandus est morbus arrogantiae, quo multi ita laborant ut iis pleni quae de poetis et philosophis delibarunt (pauca autem vel inde habent), nostra contemnant, Scripturam sacram barbaram vocent, etc. Longe aliter genuini philosophi, ut Pythagoras vel Plato, qui studio veritatis incensi, eam ubique quaesierunt, undique compararunt. *Disputatio* 1, 792-805.

Nostram autem fidem et credulitatem accusant, quasi « demonstrationem nullam dogmatum nostrorum afferamus, solam vero fidem discipulis commendemus », in quo nostram docendi rationem (διδασκαλίαν) omnino calumniantur : « rerum enim ipsarum testimonium nostris accommodamus sermonibus ». 1, 805. Et nonne Pythagorei, Platonici, ceteri, fidem initio exigunt (*Ipse dixit*)? « Si vero satis ad fidem esse putabant et qui dicebant et qui audiebant eas esse Pythagorae doctrinas (διδάγματα), quis ita erit lapideus..., ut, Deo rerum omnium docente, dubitet et non credat dictis? » 1, 805. Sequitur commendatio fidei per philosophos ipsos, 1, 813; et ostenditur necessitas fidei ut aliquid discas : « Oportet primum credere, deinde discere », 1, 816; immo ut vivas, 1, 817. « Communis est omnium fides..., cognitio vero non omnium, sed eorum solum qui artes norunt. » 1, 817. « Absonum est ergo... in solis divinis institutionibus inverti ordinem, et ante fidem requiri scientiam. » 1, 820. Videtis ergo, inquit, quomodo vel philosophos et poetas vestros « quos adversarios nobis esse existimatis, eos nostrarum rationum (ἡμετέρων λόγων) ostendamus esse advocatos, et fidei doctores. Sic cum Deo aliam quoque vobis doctrinam (διδασκαλίαν) afferemus. Vos autem, edocti quam necessaria res sit fides, Pythagoricum illud silentium exercete, et tranquille aures sermoni praebete, fideliter accipientes quae dicuntur : sic enim sane brevi poteritis discere veritatem. » 1, 825.

Secundum eamdem methodum persequitur Theodoretus varia puncta nostrae doctrinae in reliquis undecim sui scripti

libris, de rerum principiis, de diis et de angelis, de materia et mundo, de homine, etc., ita semper ut ex comparatione doctrinarum concludatur praestantia et veritas fidei nostrae. Videsis apud Theodoretum ipsum in *Prologo* breve et dilucidum argumentum eorum quae in duodecim operis disputationibus vel sermonibus comprehenduntur.

Propius ad apologeticam, qualem hic intelligimus, spectat disputatio nona, ubi fit comparatio nostrorum legislatorum, « piscatores dico et coriarium et publicanos », cum nobilissimis Graecorum nomothetis, et « ostenditur ex comparatione discrimen, et quomodo leges illae, cum iis qui eas dederunt, traditae sint oblivionis tenebris, piscatorum vero floreant non modo apud Graecos et Romanos, sed etiam apud Scythas et Sauromatas et Persas, ceterosque barbaros ». *Prologus*, 788. Item disputatio decima, ubi comparantur oracula divina cum oraculis Paganorum, et ostenditur quomodo illa « Deum deceant et prudentibus viris conveniant », Paganorum vero vates deprehensi sint mendaces, « nihil de futuris rebus praescii, talia autem vaticinati qualia vir bonus non audeat enarrare. » *Ibid.*

B. *a*) Ex hac comparatione et praestantia exsurgit argumentum negativum, contra Paganos scilicet; exsurgit etiam aliquo modo positivum, non absolutum illud quidem, sed ad hominem vel indirectum, quatenus hinc ab errore in viam veritatis manuducuntur.

b) Multa interim indicantur momenta apologetica, sed quae non visum est indicare, cum ea fere sint quae jam apud Justinum, Origenem, Eusebium vidimus.

c) Quae de fide dicuntur magis ad praeparandam viam faciunt quam vim demonstrativam ipsa per se habent.

ARTICULUS II

Brevis notitia de praecipuis recentioris apologeticae formis.

N. B. — Bibliographica pleraque jam allata sunt vel initio libri vel supra, initio c. II. Hic pauca, pro rerum opportunitate.

52. **Variae apologeticae formae pro variis apolo-**

geticae condicionibus. — Quid debeat efficere apologetica satis bene expressit Pascal : « Les hommes ont mépris pour la religion; ils en ont haine, et peur qu'elle soit vraie. Pour guérir cela, il faut commencer par montrer que la religion n'est point contraire à la raison; vénérable, en donner le respect; la rendre ensuite aimable, et faire souhaiter aux bons qu'elle soit vraie ; et puis, montrer qu'elle est vraie. Vénérable, parce qu'elle a bien connu l'homme; aimable, parce qu'elle promet le vrai bien. » XXIV, 26.

Ex iis condicionibus alias aliae methodi sectantur, prout magis affectum, voluntatem, rationem appellant : prout magis curant animum, removent praejudicia, proponunt rationes credendi vel directas vel indirectas ; prout magis intrinseca vel subjecti vel doctrinae respiciunt, historice vel philosophice procedunt, miraculum physicum vel morale extollunt, comparative ceteris religionibus christianam praeferunt vel absolutam ejus transcendentiam propugnant, etc. Quae cum innumerae fere sint, eas tantum hic possumus attingere quae aliquid habent singulare aut de quibus mota est controversia. Atque hoc ipsum breviter faciemus. Primum exponetur res, deinde feretur judicium.

53. **Pascal**. — A. Nemo sanus potest quaestionem religiosam negligere. Porro natura humana ut vitiatam se prodit. Unde pronum est inferre peccatum originale, redemptionem, totam religionem catholicam; quam cum adibis, videbis inniti miraculis, prophetiis, ceteris apologetarum argumentis.

B. Etsi ex consideratione hominis non certo inferri potest peccatum originale, tamen conjici aliquid potest; immo satis aperte ostenditur non sibi sufficere hominem neque ad comparandam eam quae sufficiat veritatem religiosam et moralem, neque ad agendam vitam homine dignam. Unde initium aliquod inquisitionis habemus, aut certe stimulum ad inquirendum num ea vera sint quae tradunt catholici. Videsis Petitot, libro laudato.

54. **Chateaubriand**. — A. Is praestantiam aestheticam catholicae religionis et ejus convenientiam cum natura hominis

et maxime cum ejus affectu extollit. Vide *Génie du Christianisme*, Préface et Introduction; item *Défense du Génie du Christianisme,* et *Lettre à M. de Fontanes.*

B. Hoc allicit, suadet; sed pro proprie dicta probatione esse non potest. Valet ad removendas aliquas difficultates; inducit ad inquirendum de veritate potius quam demonstrat veritatem.

55. **Lacordaire.** — A. Is ex consideratione Ecclesiae et ejus efficacia ad virtutem et veritatem, item ex consideratione Christi et operis ejus, aliquid ibi inesse divini concludit. Vide *Conférences de Notre-Dame,* Préface (1835); item *Trente-septième Conférence,* début (1846); item *Soixante-treizième* et *dernière Conférence* (1851).

B. Hoc argumentum est ex miraculo morali, et ex Ecclesia ut signo credibilitatis, et ex facto christiano. Quod et Vaticanum assumpsit.

56. **Ozanam.** — Is ita breviter, methodo exclusionis. Factum religiosum est ex natura. Porro vera religio debet esse inventu facilis. Atqui inter religiones, primo intuitu excluduntur paganae; deinde judaica et mahumedana. Unde restant religiones christianae. Porro inter eas facile excluduntur protestanticae. Remanet catholica. Huic ergo dandum nomen est. Ingresso oritur lux nova ab intrinseco, et quasi experientia intima. Vide *Lettres,* t. 2, l. 76, p. 412-417 (16 juin 1852); cf. l. 67, p. 368, à Ampère, 24 août 1851; l. 45, p. 263 22 mai 1849, à Ern. Havet.

B. Haec omnia in argumentum objective efficax facile coalescunt, maxime quatenus inducunt ut te tradas Ecclesiae.

57. **Augustin Thierry.** — A. Is hoc fere modo ad P. Gratry. Historice constat non posse genus humanum carere auctoritate religiosa. Porro nulla auctoritas nisi Ecclesiae. Huic me trado. Huic credo. Vide Gratry, *Connaissance de l'âme,* Préface.

B. Valet ut te tradas Ecclesiae in discipulum et credas ejus doctrinae; hinc cetera. Atque sic fere Augustinus in libro *De utilitate credendi,* Honorato suadet ut efficiat; ita autem suadet ut ostendat hanc inesse Ecclesiae auctoritatem.

58. **Comte de Champagny.** — A. Is in suo libro *Le chemin de la vérité,* ita procedit. Si Deus est, Deus legem vitae et morum tulit, et quidem universalem et positivam, unam et perpetuam. Porro hujusmodi lex nulla est nisi in Ecclesia catholica.

B. Hoc facile elaboratur in argumentum firmum et efficax ex facto Ecclesiae.

59. **Cardinalis Dechamps.** — A. Is totam quaestionem apologeticam ad haec duo reducit : ut in te agnoscas necessitatem auxilii superni et ad verum assequendum in ordine religioso ac morali, et extra te Ecclesiam quae tibi hoc auxilium suppeditet ac titulos suos secum commonstret. Vide *Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation chrétienne,* 4e édition, Malines, 1874; item *Lettres théologiques sur la démonstration de la foi,* 1861.

B. Haec, etsi quibusdam suspecta visa sunt, ut quae passim, ex modo dicendi, nescio quem vel subjectivismum, vel traditionalismum redolerent, et vera esse et egregie excogitata auctoris declarationes ostenderunt. Quinimmo secundum haec fere procedit Concilii Vaticani, Constitutio *Dei Filius,* c. 2 et 3. — Quod autem idem scriptor, in suo libro *Jésus-Christ dans les Écritures, l'histoire et la conscience,* testimonium animae naturaliter christianae in favorem Christi, fere ut Tertullianus in favorem Dei, appellat, hoc ita intelligendum est, et videtur ipse intelligere, ut inde enascatur praeparatio quaedam animae ad inquirendum de Christo et ad suscipiendam, cum rite proponetur, demonstrationem. Ex his enim et similibus hoc unum sequitur, quod recte idem : « L'état présent de notre nature, tel qu'il est universellement avoué par la conscience humaine, est une sorte de *pierre d'attente* de la révélation. » *Entretiens sur la démonstration catholique de la révélation chrétienne,* Préface de la 4e édition.

60. **D. Bougaud.** — A. Is in suo libro *Le Christianisme et les temps présents,* methodo *intima,* quam ipse dicit, multum usus est, voluitque ostendere quantum conveniat cum naturae humanae intimo appetitu et affectu religio christiana.

B. Hoc neque tam novum est quam videtur Bougaud dicere, neque pro demonstratione haberi, si solum sit, potest, neque suis, ut est ab eo effectum, caret incommodis, et iis quidem nec paucis nec levibus. Quod vero idem de Christo dixit vim demonstrandi habet sufficientem, etsi multa ibi miscentur quae non ita valent. Quod denique contra veterem apologeticam profert, si verum esset, aliquam fortasse considerationem mereretur; sed vix aliquid veri habet.

61. **Abbé de Broglie**. — A. Is nec semel neque uno modo de religionis christianae divinitate tractavit. Duo in ea re videntur digna quae indicentur :

1. Quod transcendentiam christianae religionis, etiam praescindendo a Dei existentia, strenue vindicavit, quatenus hic aliquid insit quod legibus historiae non comprehendatur. Vide *La transcendance du christianisme* (in *Religion et critique*); item, *Réaction contre le positivisme* (1894) ac *Le présent et l'avenir du catholicisme* (1892).

2. In ultimis quas dedit de fidei rationalitate lectionibus (1895), problema quasi solutum supponens, ex concordantia totius doctrinae et demonstrationis christianae cum placitis rationis ascendit ad conclusiones catholicas, et demonstrationem quasi analyticam instaurat (quae in ceteris vix differt ab ea quam tradunt theologi).

B. Totum hoc laude dignum est, ut recta veterum argumentorum ad nostrorum temporum, vel certe ad aliquarum mentium exigentias, aptatio. Quod autem videtur clarissimus scriptor sperare eos posse induci ut transcendentiam christianismi, qualis est admittenda, admittant qui existere Deum ex legibus mundi vel historiae non agnoscant, hoc parum est probabile.

62. **Ollé-Laprune, Fonsegrive** (ad quem fere accedunt **Joergensen, Bourget,** alii). — A. Ii methodum induxerunt quasi philosophicam vel scientificam, alter ex psychologia et moralis actionis legibus, alter ex vitae postulatis et biologicis legibus cetera systemata refellendo et ad christianam solutionem ascendendo.

B. Hujusmodi apologetica utilis est vel ad removenda prae-

judicia, vel ad excludenda falsa systemata, vel ad alliciendos et praeparandos animos. Cavendum vero est ne vel hujusmodi rationes pro demonstrativis afferantur, vel Christianismus pro naturali religione habeatur.

63. **Balfour et Brunetière.** — A. Ii ex iisdem fere Kantianis aut Positivismi finibus egressi, via partim eadem partim diversa, alter ad christianae religionis dictamina practica, alter ad catholicam doctrinam pervenerunt, postulato scilicet rationis practicae. Balfour nimirum, in suo libro, *The foundations of belief*, ostendit nihil esse firmum nisi admiseris fundamentalia principia religionis et vitae moralis. Unde fit ut haec sint practice necessaria. Brunetière hucapologeticam totam reducit: Non solvitur quaestio socialis nisi admittitur ordo moralis. Non solvitur quaestio moralis nisi admittitur ordo religiosus. Non solvitur quaestio religiosa nisi admittitur Catholicismus. De Balfour, cf. Rey, *La philosophie de M. Balfour*, 1897: de Apologetica F. Brunetière, vide J. Cartier, *loc. laudato*, n. 7.

B. Non videtur Balfour posse ad actum fidei, secundum sua principia, posse devenire, quippe qui non videatur, secundum eadem principia, fundamentum fidei ullum habere rationale.

Secus Brunetière, qui etiam dato quod motiva credibilitatis ex suis principiis philosophicis non posset haurire et quod, praeter sua principia, motiva immediata item non haberet, habebat tamen eo ipso quod valde rationabiliter Ecclesiae catholicae se traderet discipulum, et ab ea acciperet fidem cum motivis sufficientibus credibilitatis. — Haec objective, ut patet, dicta, non intimos animos, perscrutando.

64. **Blondel**[1]. — A. Is quod aliquo modo in suo libro *L'Action*, 1893, effecerat, id in theoriam deduxit, et methodum immanentiae quae dicitur ut solam stricte philosophicam, solam philosophice efficacem propugnavit, in epistola de qua supra. Cujus methodi, omissis iis quae critice de aliis dicuntur, haec videntur esse quantum assequi potuimus, et breviter possumus dicere, praecipua lineamenta :

1. Bibliographica vide n. 31.

Philosophi recentiores cum philosophiae autonomiam et autochthoniam ita vindicent ut nullam legem ab extrinseco admittant, sed eam solam quam ipsi sibi imponant, valde infensi sunt doctrinae christianae quae τὸ supernaturale ita imponat ut eum condemnet qui naturae suae terminis se includat, et ita quidem condemnet ut non solum bono illo supernaturali privet, sed etiam bono naturae, idque eo solo titulo quod bonum supernaturale rejecerit : quod iis videtur intolerabile. Quid cum iis agendum? Iis ostendendum est non esse hoc totum ab extrinseco, sed ita saltem partim esse ab intrinseco ut ipsa eorum natura hoc supernaturale postulet, et ipsi se, non admittendo, condemnent, dictamini scilicet naturae non obsequentes.

Hoc autem ita fit. Si quis naturae (vel voluntatis, vel actionis) tendentiam intimam et appetitum considerat, apparet eam eo devenire ut aliquid sibi proponat ad quod accedere ipsa non possit, ita ut ei non satisfiat nisi per id quod ejus captum omnino excedat, quod vocamus supernaturale. Unde fit ut τὸ supernaturale simul et ut necessarium naturae appareat, et ut naturae captum excedens, ac proinde aliquo modo intrinsecum simul et extrinsecum, quatenus intrinsecus postulatur ut extrinsecus recipiendum. Atque hoc modo quasi aperiuntur oculi eorum ut possint intelligere quid catholici dicant et rationum momenta quae iidem proponunt, perspicere.

Si objicitur : Hoc postulatum naturae non est manifestum, respondetur : Etsi non est immediate et primo intuïtu manifestum, id tamen is dignoscat qui, sub eo quod systematice profertur et cadit in conscientiam, noverit intimum et spontaneum naturae nisum intelligere (fere ut facit Tertullianus in libro *De testimonio animae*).

Si objicitur non stare hoc postulatum cum gratuitate ordinis supernaturalis, respondetur hoc postulatum esse consequens ad primum donum supernaturale gratis datum, vi cujus natura, qualis est in concreto, enitatur ad id fastigium ad quod a Deo vocatur et impellitur per hoc primum donum.

Si objicitur non posse dignosci nec cadere in conscientiam τὸ supernaturale, respondetur aliud esse τὸ reale aliud τὸ ob-

jectivum, et plus esse in re quam in apprehensione; ac proinde ex scientia rei vel actionis posse aliquo modo educi notitiam aliquam, ut rei extrinsecus existentis et per appetitum intimum postulatae, ejus quod non in conceptu appareat.

Si quaeritur cur tantum tribuatur huic methodo, respondetur vel id esse commodi, praeterquam quod sola philosophica sit et philosophos attingat, quod sic non tantum perspicitur veritas per intellectum ut abstracta et quasi aliena a nobis, sed vitaliter recipitur per totum hominem ut nostra, quam vivamus et cui nos totos tradamus; ac valedicendum esse abstractionibus ut viva et concreta tangamus.

B. In systemate sic intellecto multa sunt profecto vera et bona, multa valde affinia iis quae S. Thomas habet de appetitu visionis beatificae, de praestantia hujus cognitionis quae est per quamdam *connaturalitatem* cognoscentis ad cognitum, de eo etiam quod omnis homo deliberans de seipso cum incipit vitam agere vere humanam, necessario Deum, et quidem ut finem supernaturalem, vel accipiat ordinando se ad illum, vel respuat avertendo se ab illo.

In processu, multa item egregie dicuntur; ut cum adversarii ex intima evolutione suorum principiorum ostenduntur non posse nec cum suis principiis nec cum sua actione consistere, etc.

Quinimmo ad apologeticam multum conferre apparet haec duo, quibus jam utebatur D. Dechamps, quibus ipsi utemur : 1. Quod homo sibi conscius, si rite manuducatur, fieri potest non posse se solis suis viribus vitam perfecte moralem vivere neque practice secundum conscientiae suae dictamen semper agere. Vide, inter multos, L. Billot, *De gratia Christi*, 1912, cum in prooemio tum in thesibus de necessitate gratiae; 2. Quod plerique homines non possunt practice, solis suis viribus, eam summam veritatis religiosae et moralis eo modo sibi comparare ut vitam agant homine dignam. Unde exsurgit haec necessitas moralis revelationis aut auxilii alicujus etiam ad comparandam veritatem naturalem in ordine morali et religioso.

Sed, ut superius dictum est, difficile est ad hanc benignam interpretationem multa scriptoris dicta reducere; difficilius

quoque ea excusare quae, ad litteram intellecta, contra ipsam apologeticam ab Ecclesia probatam et in Concilio Vaticano canonizatam videntur offendere.

Catholico semper in ea re ob oculos versari debet quod habet constitutio *Dei Filius,* c. 3; item quod habet Encyclica *Pascendi* cum contra doctrinam *immanentiae,* tum contra ejusmodi immanentiae methodum quae veri nominis naturalem exigentiam ad ordinem supernaturalem videatur admittere.

PARS ALTERA

DE VERA RELIGIONE

CAPUT I

DE RELIGIONE ET REVELATIONE

ARTICULUS I

De religione.

THESIS III

1) Et ex facto apud omnes homines omnium temporum et locorum universali et perpetuo, et ex tendentia naturae humanae innata ostenditur hominem esse animal religiosum;

2) Quae religio non est merus sensus subjectivus, sed summam quamdam exhibet et doctrinarum de ente supremo deque hominis ab eo dependentia, et officiorum quae ex ea habitudine oriuntur.

3) Porro ut hoc factum non bene explicatur nisi ex existentia Dei creatoris et legislatoris, a quo homo dependeat, et quem aliquo modo cognoscat.

4) Ita ex ea hominis ad Deum habitudine, sequitur religionis esse principia quaedam naturalia, objectiva, necessaria, quae religio naturalis dicitur;

5) Quae si homo agendo et credendo servat, vera est ejus religio; sin aliter, falsa. Unde fit ut una sit religio naturalis.

6) Porro nihil tantum hominis interest quam ut Deum colat ac bene colat; unde fit ut quaestio religiosa sit omnium maxima, quam negligere nemini licet.

PRAEVIA

65. 1. Quaestionem immensam hic non est necesse multis

evolvere, sed satis est praecipua puncta ex philosophiae fontibus revocare ad summam doctrinae efficiendam.

2. Auctores acatholicos eorumque opiniones fere indicavimus ad n. 10-18. Pro multis erunt : Vacherot, *La religion;* Sabatier. *Esquisse;* Tiele, trad. Vernes, *Manuel de l'histoire des religions,* 2e édit. 1885 : Chantepie de la Saussaye. etc. E catholicis, praeter cursistas. cf. de la Broise. *l. c.*; de Broglie, *La définition de la religion* (*Religion et critique,* p. 1 ; *Définition de la vraie religion,* ibid., p. 57 ; *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions.* Quae spectant historiam religionum qua talem, cum sint innumera, non vacat hic indicare. Quae sunt in ea re necessaria suo loco dabuntur.

3. Sensus et vis thesis diligenter legenti apparebit. Sed attendendum est ad processum et ad partium inter se connexionem. Procedimus enim partim a posteriori, ex factis vel externis vel psychologicis, partim a priori ex nexu rerum inter se : item Deum esse et cognosci posse nosque ab eo esse et dependere supponimus quidem aliunde cognitum, sed indicamus etiam argumentum vel ex facto religioso et tendentia naturae deduci posse contra atheos vel agnosticos. Tandem magis in abstracto procedimus quam in concreto, etsi res concretas etiam tangimus.

EXPLICATUR ET PROBATUR

1. **Homo est animal religiosum.** — *a*) Factum ab omnibus agnoscitur; et si quando visum est aliquas gentes sine religione fuisse, re diligentius inspecta contrarium apparuit.

b) Tendentia naturae ex facto ostenditur; neque contra est quod aliqui contra hanc tendentiam agunt, maxime cum ii ipsi qui omnem religionem respuere se profitentur, religionem sibi fingant vel scientiae, vel progressus, vel humanitatis, etc. Cf. Positivistas, ut Comte. ut Littré, ut Spencer; cf. ipsum Guyau in *L'irréligion de l'avenir;* bene Sabatier, p. 11, 12.

c) Hinc apparet cur Quatrefages, *L'espèce humaine,* l. 10, c. 35, hominem definierit animal religiosum.

2. **Religio non merus est sensus subjectivus, sed summam quamdam doctrinarum et tendentiarum exhibet.** — Ex iis-

dem factis et ex eadem tendentia naturae habemus etiam hanc notionem religionis qualem pingui Minerva describimus; haec enim non merum sensum religiosum exhibent, sed huic sensui assignant objectum quoddam et relationes hominis cum eo definitas, etsi in hujus objecti cognitione potuit saepe error obrepere.

N. B. — Non contendimus eam quam damus hic notionem religionis esse definitionem omnibus numeris absolutam; sed fundamentalem quamdam eamque veram notionem damus, diligentius postea, si opus erit, elimandam.

3. **Facti una explicatio, Dei existentia.** — Nulla enim alia explicatio vel factis vel rationi hominis, vel naturali tendentiae satis respondet, ut apparet varia systemata perlustranti (quod fit ubi agitur de historia religionum); ea autem omnia bene explicantur posita Dei existentia, quam saltem in confuso omnes primo et spontaneo rationis usu ex principiis naturae quasi insitis, quae principia alia sunt ordinis speculativi alia ordinis practici, facile agnoscant, nisi quid forte intervenit quod naturalem instinctum pervertat.

4. **Religio naturalis.** — Religio est agnitio speculativa et practica nostrae habitudinis ad Deum ut auctorem, legislatorem, finem ultimum. Atqui haec habitudo est naturalis, objectiva necessaria. Ergo. Cf. Newman, *Grammar of Assent*, c. 10, s. 1.

Aliter : Religio est summa credendorum et agendorum respectu Dei. Ergo.

5. **Religio est vera vel falsa.** — Sequitur ex dictis. Nam vera est religio quae est conformis ordini objectivo habitudinis nostrae ad Deum. Porro haec habitudo una est omnium, et religionem naturalem efficit.

6. **Quaestio religiosa omnium maxima.** — Nihil homini est prius, intimius quam ejus habitudo ad Deum ut creatorem, legislatorem, finem supremum. Nihil ergo ei majus est et utilius quam secundum hanc habitudinem vivere; nihil miserius quam in hoc deficere. Nihil ergo magis hominis interest

quam veritas religiosa et vita huic veritati conformis. Cf. Pascal, art. IX; Lamennais, *Essai sur l'indifférence;* Bougaud, *Le christianisme et les temps présents,* t. 1; J. V. Bainvel, *Le problème apologétique.*

SCHOLIA

67. 1. Non licet ergo totam religionem ad sensum religiosum reducere, et nullam habere rationem quid credas de ente supremo vel quomodo colas. Atque eo ipso condemnatur subjectivismus religiosus, indifferentismus, agnosticismus, ut ordini rerum, naturae humanae, instinctui hominum intimo contrarius.

2. Religio naturalis de facto non existit *ut talis,* cum Deus religionem positivam instituerit: non quod naturalis sit eo ipso suppressa, sed est determinata, perfecta, elevata in ordinem altiorem.

Quod aliqui, ut Rousseau, ut Rationalistae saeculo superiore, religioni naturali sese addixerint et ea contenti esse voluerint, hoc figmentum mentis potius quam religio practica fuit. Quin etiam suae religionis naturalis ambitum et praescripta vix aliter definierunt quam luce religionis christianae utendo, vitam homine dignam, quantum vixerunt, vix aliter vixerunt quam diffusa, ut ita dicam, virtute christianae religionis.

Ceterum praecipit religio naturalis ut de supernaturali curres. Neque jam vera erit religio *mere* naturalis, si alteram non sectetur.

3. Qualis debeat esse religio naturalis facile perspicitur, modo scias quid sit Deus, quid sit homo, qualis sit habitudo hominis ad Deum. Ea sane debet habere: cultum internum, cujus proprius actus sit *latria;* cultum externum, cujus proprius actus sit sacrificium, et eum quidem cum individuum tum socialem.

4. Bougaud, *Le christianisme et les temps présents* [2], t. 1, p. 133, p. 151, et toto c. 3 passim, nec bene theologos recentiores reprehendit quod minus recte religionis notionem exhibuerint, nec bene ipse eam ad mutuum Dei et hominis amorem reducit. Ut enim hoc de christiana religione dici quodammodo possit, de religione ut est religio verum non est, quippe quae

sit proprie justitia hominis ad Deum, quod officii est, non amoris, etsi aliquis amor (ut servi ad dominum) ad hoc religionis officium pertinet. Porro habitudo Dei ad hominem (melius diceretur hominis ad Deum) fundamentum est religionis, non ipsa religio. Cf. S. Th. 2ª 2ae, q. 81 sq.

THESIS IV

1) Non potest homo in religione naturali acquiescere; sed debet de religione positiva inquirere et agnitam amplecti.

2) Porro ea inquisitio, ut pro rei natura et dignitate, proque humanae cognitionis condicione et inquirentis facultate rite instituatur, nec leviter nec superbe nec mere speculative et scientifica curiositate, sed toto animo cum seria voluntate verum inveniendi cum recursu ad Deum, cum ea constantia quam nec difficultas frangat nec conclusio practica terreat, sub ductu fere et cum auxilio alicujus cui confidas, non quidem ut in ejus verba jures, sed ut eo duce non oberres inquirendo, peragenda est.

3) Qui igitur inter catholicos vivit, de Ecclesia catholica et quidem ab homine catholico qui sit idoneus, primum inquirat oportet; qui secus, si ei deinde religio catholica innotuit, eam negligere non debet.

4) Ut autem veritati propositae acquiescat, non est exspectandum neque ut vi argumentorum cogatur, neque ut omnia sint ei perspicua discussis omnibus objectionibus; sed satis est ut rationes credendi firmas habeat quae aliquo modo in certitudinem moralem coalescant rei et homini proportionatam et practicam.

5) Quod etsi non tantam habet difficultatem, non negamus tamen dari posse ignorantiam invincibilem veritatis catholicae, idque vel antecedenter ad usum libertatis in ea re vel etiam consequenter.

PRAEVIA

68. 1. Thesis est de officio inquirendi, deque methodo inquisitionis. Porro res per prius spectat eum qui vel nondum credidit, vel jam non credit; sed accommodari etiam iis qui credunt potest. Modi autem inquirendi et perveniendi innumeri fere

sunt; sed ea quae dicimus videntur omnibus fere convenire, aliter aliis.

2. Pars prima thesis spectat indifferentismum religiosum (cf. Lamennais, *Essai*, t. 1) et praesertim separatismum philosophicum (contra quem, ut nihil hic dicam de M. Blondel, egregie M^gr^ Pie in tribus suis synodalibus contra nostrorum temporum errores). Simul occurritur contendentibus non applicari apologeticam hominum mentibus, neque fieri contactum animi cum rationibus credendi. Qui vero argumenta quibus hanc probamus considerabit, perspiciet suum ibi esse locum methodo immanentiae et proficisci nos etiam ab intrinsecis subjecti.

3. Altera pars est, in abstracto, de condicionibus rectae inquisitionis. Non quod ea omnia semper esse necessaria contendamus; sed si quis ita faciet, is certo, ut videtur, perveniet. Quanquam non fuit nostrae intentionis omnes omnino condiciones enumerare, cum multae per se obviae sint (ut mentem vacuam esse debere praejudiciis, qualia sunt non fieri miracula, nihil esse supernaturale, etc.). Ex iis satis apparebit non omnia nos a solo intellectu repetere, sed suas partes toti homini in ea re dare. De his condicionibus egregie Augustinus in opusculo *De utilitate credendi*. Nos aliquid in articulo *Le problème religieux*.

Initium autem inquirendi aliud erit prout aliquis praesupposita philosophica de Dei existentia, de ordine morali, de contingentia legum naturalium, etc. admittit vel respuit. Quanquam si quis in his haerebit, et potius sua placita quam naturae instinctum, rationabilem scilicet, sequetur, is non facile adigetur ad verum. Qui enim naturam ducem in his non sequitur (ad quod omnes ceterae condiciones videntur reduci), in reliquis etiam vix sequetur. — Hinc praecluduntur effugia Rousseau et aliorum.

4. Tertia pars magis in concreto procedit, ac proinde minus absolute sumi debet; sed res, ut vera est, ita magni est momenti. Id inculcat Augustinus cum passim, tum praesertim in opusculo *De utilitate credendi*, in quo alia quoque tanguntur quae omnino ad nostram thesim faciunt, ac praesertim ad utilitatem ducis idonei. Cf. etiam Ozanam, *Lettres*, lettre 76.

5. Inter catholicos de efficacia rationum et de gradu certitudinis requisito constat in plerisque; in paucis interest. Quanquam, etiam in his, discrimen est in modo loquendi potius quam in re. Quae hic in quarta parte habentur rem practice cum tangant, vix non ab omnibus admittuntur. De hoc diligentius postea. Interim cf. Abbé de Broglie, Conférences de 1895, conférence 2 et 3, datas a P. A. Largent sub titulo *Les conditions modernes de l'accord entre la foi et la raison*, 1903.

6. Quae n. 5 dicuntur, quaestionem indicant quae fori divini est potius quam humani. Id *de facto* scilicet intelligi debet: nam quaestio, ut ita dicam, *juridica*, non tantam habet difficultatem quantam supponunt aliqui ut Blondel in epistola ad D. Pèchegut, Rev. du cl. fr., 25 févr. 1902, t. 29, p. 643-658, et ipse Pèchegut ad Blondel), modo quis theoriam catholicam rite intelligat[1].

DECLARANDO PROBATUR

69. 1. **Nulla quies in religione naturali.** — A. *Officium inquirendi de religione positiva.* Sunt, in ea quae nunc est rerum condicione, rationes prudenter dubitandi num Deus intervenerit, et quidem auctoritative, ad ordinandam rem religiosam. Ergo tenetur homo inquirere.

Probo consequentiam. Deponenda est ignorantia vincibilis respectu legis, praesertim cum agitur id quod maxime ad naturae perfectionem, felicitatem, intimum appetitum in re summa interest.

Probo antecedens. Ex multiplici facto :

a) Ex consideratione facti religiosi. Omnes religiones ut positivas aliquo modo se produnt, hoc saltem sensu quod specialem aliquem numinis interventum supponunt.

Aliter. Religio mere naturalis nullibi in religionem concretam et practicam coaluit; et facile inducitur vix posse coalescere.

Exemplo sunt ea quae habet Rousseau in *Vicaire savoyard*

1. Hanc nos, quantum potuimus, declaravimus in opusculo « *Hors de l'Église, pas de salut* », 1913.

et in fabella de Sophia et Æmilio (ad finem sui *Emile*); quae excogitata sunt anno 1793; quae Kantius habet in libro *De religione intra limites solius rationis;* quae Jules Simon in libro *La religion naturelle* (nam de Theosophis, de Comte, etc. non est cur agamus. Quanquam ii multum usi sunt christiana religione.

Ratio est quia res fere non ita definite exhiberi potest ut vel singulis satisfiat, ne dicam multitudini. Unde fit lapsus vel in superstitionem, vel in sensum nescio quem religiosum sine dogmate, qui practice in indifferentismum religiosum vergit, nec naturae hominis rationali satisfacit — quamvis multi in id elaborent, admixtis elementis quibusdam religionis positivae, ut Harnack in suo libro, de essentia christianae religionis, ut Sabatier in suo opere *Esquisse*, etc.

b) Ex consideratione generis humani. Genus humanum practice non potest sibi comparare eam summam veritatis religiosae et moralis quae sit necessaria ad vitam homine dignam, citra divinum interventum.

Res historice constat de praeterito (quod satis est ad argumentum). Rationem rei affert S. Th. *C. Gent.* 1, 4; cf. 1, q. 1, a. 1. Addi potest fieri rem practice non posse per magistros humanos, quippe qui vel ipsi nesciant, vel auctoritate careant, vel docendi voluntate.

Res confirmatur manifestis nostrorum temporum exemplis, quin etiam verbis eorum qui infensos se catholicae religioni ostendunt, ut Jules Simon.

c) Ex consideratione sui. Videt homo esse se in re religiosa ita ignarum ut indigeat magistro, in re morali ita infirmum ut indigeat auxilio, in utraque plus affectare intimo et necessario naturae impetu quam assequi vel exsequi ratione et deliberata voluntate possit.

Factum constat experientia et analysi naturalis instinctus. Rem de se jam dixerat persona Ovidiana, dixerat Paulus, *Rom.* 7, 15 sq., multi nostris temporibus item (Malgré moi l'infini me tourmente, etc.). Cf. Blondel, *L'action,* cum passim, tum parte 3, 5e étape, c. 3, p. 305 sq., ubi hoc vel ex actione superstitiosa ostenditur. Alii etiam multi tendentiam hanc hominis in infinitum ex eo quod et se et ea quae amat quasi

sponte infinitet, pro *Deo* habendo vel se, vel scientiam, vel objectum amoris, perspexerunt.

d) Ex consideratione Ecclesiae. Tanto facto debetur attentio; talis doctrina de sui necessitate et de obligatione adhaerendi debet excitare ad inquirendum; tanta conformitas vel doctrinae vel institutorum cum condicione naturali, cum instinctu naturae et dictamine rationis debet saltem suspicionem movere de veritate.

N. B. — 1. Argumentum *objective* procedit. Quod non omnes *subjective* hanc obligationem perspectam habent, veritati non officit. Quid enim est quod non ab aliquo vel negetur vel ignoretur?

2. Plus potest evinci ex factis quae attulimus, maxime si quis admittit existentiam Dei. Quanquam non contendimus ex iis factis et argumentis immediate et necessario fieri gradum ad veritatem catholicae religionis.

1. B. *Officium agnitam amplectendi.* — Si haec religio, quatenus positiva est, non se exhibet ut necessariam omnibus, nihil aliud exigitur nisi ut ejus adjumento utaris ad rejiciendum id quod contra religionem naturalem irrepere potuit, et ad supplendum, v. g. imitatione, id quod non satis erat. Sin se exhibet ut necessariam ad salutem sive necessitate medii, sive necessitate praecepti, tenemur media salutis necessaria non respuere, Deo auctoritative loquenti fidem habere, praecipienti obsequi.

2 et 3. **Quomodo sit inquirendum; condiciones positivae.** — Hae condiciones vel ex natura rei, vel ex natura hominis cum individua tum sociali, vel ex habitudine hominis ad Deum facile eruuntur. Totum vero ex analogiis aliarum disciplinarum confirmatur. Cf. Augustinum, *De utilitate credendi.*

4. **Ubi et quando sit consistendum; condiciones negativae.** — Totum hoc vel speculative rem inspicienti patet. Crescit vis argumenti, si cogites agi de re practica, summi momenti, necessaria (in hypothesi), ubi error tantum habet incommodi, ubi dubium remanere non licet. Ejusmodi autem certitudo sufficit quae naturae hominis et rei conveniat, quae locum relinquat voluntati et gratiae Dei. Quae certitudo, etsi ipsa ex probabilitatibus constitui non potest, coalescere tamen indirecte potest,

accedente v. g. eliminatione ceterarum solutionum, respectu ad Providentiam Dei, instinctu nescio quo vel naturae vel gratiae, etc.

5. **De inveniendi facilitate et de ignorantia invincibili.** Rem non esse difficilem, modo omnia sint normalia et secundum naturae rationalis instinctum, cum a posteriori constat, tum a priori intelligitur, si quis et suavem Dei Providentiam et *anticipationes* naturae, et vim ac numerum argumentorum considerat.

Dari tamen ignorantium invincibilem, non modo apud eos qui nihil de veritate catholica audierunt aut haeresi praeoccupati sunt, sed etiam in regionibus catholicis, videtur experientia constare, sive non satis est proposita religio, sive mens vel praejudiciis vel falsa methodo vitiata, vel aliquo vitio intrinseco laborans, veritatem, etiam extrinsecus propositam, recipere non potest. Potest autem etiam ex causa libere posita sequi error invincibilis; item ex libera omissione alicujus actus vel condicionis [1].

ARTICULUS II

De revelatione. — Notiones.

70. 1. Quae sunt in ea re necessaria breviter nos expediemus, quippe quae sint passim obvia. Digni sunt qui nominentur, inter multos, Ottiger, part. 1, sect. 1; Hettinger, l. 1, c. 2; Brugère, part. 1. Novissime Tanquerey et Muncunill.

2. Revelatio est manifestatio rei occultae per proprie dictam locutionem. Quomodo distinguatur in immediatam et mediatam, in naturalem et supernaturalem, facile intelligitur.

Quomodo fiat psychologice aut fieri possit, ubi contineatur, quid ipsa contineat, quomodo data sit, quomodo evoluta, etc., non est hujus loci.

Unum adverti debet, ubi agitur de religione revelata, non tam ratione sui fieri revelationem quam ratione religionis; unde fit ut scopus revelantis magis sit practicus quam specula-

1. Qui plura de his rebus cupit, adeat v.g. Ottiger, p. 1, sect. 1, c. 4.

tivus. Porro hoc in ipsam formam revelationis et in modum manifestandae veritatis potest non parum influere.

N. B. — Ex his apparet quomodo *motiva credibilitatis* cum *causis credendi* conjungantur; quomodo principiis intrinsecis agamur ad revelationem quaerendam et extrinsecus recipiendam; quis sit locus in ea re certitudini morali (de qua vide Brugère. *Appendix I*, et Ollé-Laprune, *La certitude morale*).

3. Cum revelatio dicatur esse mysteriorum, sciendum est quid sit mysterium, quo sensu intelligi non possit, quid in eo intelligi et qua ratione per analogiam possit, quomodo sit supra non contra rationem. Nos necessaria dabimus pro opportunitate. Interim vide cursistas, maxime Ottiger, § 11, p. 51-56.

4. Multae falsae notiones passim circumferuntur vel de revelatione vel de mysteriis, quas recensere non vacat. Inter adversarios eminet Rousseau, *Confession de foi du Vicaire Savoyard*, in *Emile,* l. 4.

THESIS V

DE POSSIBILITATE REVELATIONIS

1) Non bene negatur possibilem esse revelationem proprie dictam, vel immediatam vel mediatam vel etiam mysterii proprie dicti.

2) Immo valde convenit hujusmodi revelatio.

PROBATUR I

Possibilem esse revelationem.

71. 1. *Immediatam.* Nulla ostenditur repugnantia ex parte Dei, sive spectatur ejus scientia, potentia, sapientia, libertas; nulla ex parte hominis, quippe qui magistro indigeat; nulla ex parte veritatis communicabilis. Cf. Augustinum, *De utilitate credendi,* n° 24, M. t. 42, col. 81; Monsabré, *Conférences de Saint-Thomas d'Aquin,* 12e conférence.

2. *Mediatam.* Cur non posset transmitti veritas revelata, cur non aptis mediis servari a corruptione? Cf. Lacordaire, 53e conf., t. 3, p. 251.

3. *Mysterii.* Non deest quod communicetur, haberi potest aliqua rei notitia, haec communicatio multiplicem habet utilitatem et convenientiam, ut statim ostendetur. Ergo. Cf. *C. Gent.*, l. 1, c. 3; l. 4, c. 1, et passim.

PROBATUR II

Convenire revelationem.

1. *Ut Deus ipse hominem institueret,* dignum erat Dei bonitate, gloriosum et utile homini quin etiam, in hypothesi supernaturali, absolute necessarium . in praesenti generis humani condicione moraliter necessarium, ut modo videbimus, et habet Vaticanum, *De revelatione.* Cf. S. Thomam, *Contra Gent.*, l. 1, c. 4.

2. *Ut non omnes immediate, sed socialiter,* convenit naturae hominum sociali et oeconomiae divinae. Cf. Ottiger. th. 2. p. 83 sq.

3. Ut *mysteria* doceret, cf. *C. Gent.*, l. 1, c. 5. Cf. *ibid.*, l. 4, c. 1. Hinc ratio humana salutariter humiliatur simul et exaltatur, ad divina stimulatur, in communionem divinae vitae et scientiae inducitur, ut amicus per amicum, etc.

N. B. — 1. Quae objicit Rousseau facile diluuntur; item quae alii, modo quis Deum esse non neget. De mysteriis respondit vel ipse P. Janet, *Revue philosophique,* janv. 1890, p. 7 sq.; item *Revue des Deux-Mondes,* 1890, t. 2, p. 409. Cf. etiam Leibniz, *Discours de la conformité de la foi avec la raison;* de la Broise, *Un siècle,* p. 688. Nos ad ea quae objicit Sully Prudhomme, *La vraie religion selon Pascal,* 1905. Appendice, respondimus in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès, articulo *Foi.*

5. Contra hoc afferri etiam non debet autonomia rationis humanae, quippe quae in ente creato, dependenti, egeno et ignaro nulla est, nec sine blasphemia in Deum vindicari potest.

THESIS VI

DE NECESSITATE REVELATIONIS

1) In praesenti generis humani condicione, revelatio divina est practice necessaria ut homines veritates ordinis religiosi et moralis etiam naturales, ut et quantum ad vitam homine dignam necesse est, assequantur.

2) Non ideo tamen revelatio est absolute necessaria, sed vel disjunctive tantum, vel in hypothesi elevationis.

Cf. Concilii Vaticani Constit. *Dei Filius,* c. 2, hic 9, *e*; Acta Vaticana in h. l. (pleraque apud Gaudeau, *Libellus fidei,* n. 853 sq.); item commentatores, ut Vacant, Granderath; Ottiger, § 14, p. 91-148 (qui eamdem fere doctrinam, sed paulo aliter habet); F. Mach, *Die Nothwendigkeit der Offenbarung Gottes nachgewissen aus Geschichte und Vernunft,* Mainz, 1883; Granderath, *Die Nothwendigkeit der Offenbarung,* in *Zeitschrift für Kath. Theologie,* 1882, p. 282-319; Denzinger, *Vier Bücher von der religioesen Erkenntniss,* II, 67 et passim; Hettinger, § 16 et 67; — Freppel, *Pères Apostoliques,* 8ᵉ leçon; *Saint Justin,* 4ᵉ et 5ᵉ leçon; *Les Apologistes chrétiens au IIᵉ siècle,* 4ᵉ leçon; Mazzella, art. 6; Wilmers, Propos. 21-25; Brugère, c. 3 et *Append.* 5, 6; Dechamps, *Entretiens,* maxime *Premier entretien;* Idem, *La question religieuse résolue par les faits,* t. 1, c. 1-4.

PRAEVIA

72. 1. Status quaestionis diligenter est definiendus, cum difficile sit ab alterutro excessu vel Rationalismi vel Traditionalismi in ea re cavere. Perpende ergo verba thesis, et adverte sermonem esse de necessitate practica (non physica ergo, sed morali); de summa quadam veritatum, non de aliqua veritate nec de omnibus; de hominibus in genere, non de aliquibus; *ut* oportet, h. e. expedite, firma certitudine, nullo admixto errore; *quantum* oportet ad vitam homine dignam, idque non ratione vel cultus vel peccati, etc.; non quaeri utrum et quantum error

singulorum esset invincibilis; *in condicione praesenti*, non quod ea condicio spectetur ut absolute insufficiens ratione peccati, sed quatenus non adest nunc, praeter oeconomiam revelationis, alius ordo Providentiae, qui intrinsecam hominum insufficientiam compleret; unde fit ut revelatio dicatur necessaria disjunctive, vel ipsa scilicet vel aliquod auxilium quo naturaliter provideretur homini.

2. Praeter errorem Traditionalismi, multi catholici in ea re non satis considerate vel impotentiam humanam nimis extulerunt, alii alia de causa, vel argumenta attulerunt quae rem non evincunt. Vide apud Ottiger brevem historiam thesis et argumentorum, p. 95-107. Cavendum ergo est ne quid ex hac thesi incommodi oriatur vel in quaestione de peccato originali, vel de statu naturae purae.

PROBATUR I. — *Revelatio necessaria moraliter.*

73. Argumentum idem est quod attulimus, n. 79, 2, in quo duo sunt :

1. *Factum.* Genus humanum non pervenit temporibus praeteritis ad hanc summam, et nunc quantum ab hac luce religionis revelatae discedit, tantum in veritate vel naturali deficit.

2. *Ratio et explicatio* facti, ex condicione hominis relate ad veritatem, de qua hic est sermo, tradita est a S. Thoma, *C. G.*, 1, 4 (ad quod egregie Ferrariensis) et passim.

Porro ex utroque evincitur haec necessitas practica revelationis divinae.

SCHOLIA

74. 1. Non officit argumento quod ne cum revelatione quidem res omnino facta est. Deus enim media apta paraverat; defectus est ab homine.

2. Etiam si homo nunc posset, aut in futurum, valeret argumentum ratione praeteriti. Idque eo magis quod progressus ille magna ex parte deberetur revelationi, cui quantum debeant vel ii qui ipsam respuunt nunquam satis ostendetur.

Non est ergo directe contra nostram thesim theoria de progressu, qualem elaboraverunt saeculo 19 multi vel philosophiae vel *scientiae,* quae dicitur, coryphaei, ut Hegel, ut Cousin et ejus asseclae, ut Vacherot, ut Renan (*L'avenir de la science*, passim), ut Materialistae vel Monistae, Haeckel, Huxley, Berthelot, Le Dantec, etc.

Qua de re, cf. Mazzella, art. 7; Didiot, art. *Progrès* in *Dictionnaire apologétique;* ut omittam quae habet Félix. *Conférences*, passim.

Porro in ea theoria multa sunt confusa, multa gratis asseruntur, multa subjectivismum redolent; nec bene fit transitus a progressu in re scientifica ad progressum in re religiosa et morali. Nos facta spectamus.

Ceterum contra hanc theoriam et contra hanc praesumptionem egerunt his fere viginti annis quotquot maxime valent studio rei moralis, socialis, religiosae, et ita quidem ut in ipsam *scientiam* et in philosophiam *intellectualem* redundaverint multa quae contra scientiae abusum in re non sua et contra intellectualismi, qui dicitur, excessum essent verissima. Cf. Abbé de Broglie, *Réaction contre le positivisme;* Brunetière, *La Renaissance de l'idéalisme, La Science et la Religion*, et multa multorum.

3. Non posse fieri per auctoritatem humanam id quod non fit propria singulorum ratione, et facto et rationibus jam dictis constat.

4. Innumera sunt vel facta vel testimonia quibus haec generis humani vel per se vel per philosophos impotentia probatur. Facta suppeditat v. g. Döllinger, *Judaïsme et Paganisme*, passim: testimonia passim occurrunt, vel veterum, ut ejus qui *Alcibiadem II* scripsit, cf. Ottiger, p. 126 (ubi et alia), ut Justini initio *Dialogi*, vel etiam recentiorum, et quidem incredulorum, ut Jouffroy, Damiron, Proudhon, cet. Cf. *Démonstrations évangéliques,* Conclusion, 1088 sq. Eminet Musset, *Espoir en Dieu*. Cf. etiam Hettinger, *Apologie,* t. 2, c. 11; Brugère, p. 45.

5. Non est contrarium quod dicunt Patres et Philosophi esse nobis quasi insitam cognitionem Dei et ordinis moralis. Hoc enim valet de rudimentis quibusdam, non de cognitione

qualem requiri dicimus ad vitam homine dignam; quam etsi non est necesse esse philosophice excultam, neque ad omnia extendi, tamen non his rudimentis contineri certum est.

Utut autem is error esset invincibilis, non tollitur necessitas revelationis, immo potius augetur, cum res in Deum refundatur.

PROBATUR II. — *Non absolute necessaria, sed hypothetice.*

75. *a) Non absolute necessaria.* Poterat enim Deus impotentiam hanc humanam ordine Providentiae mere naturali et subsidiis naturalibus supplere — quae nunc non adsunt, cum Deus aliter et melius providerit.

b) Omnino necessaria in hypothesi elevationis. Quod intelligitur vel ratione finis, vel ratione mediorum.

Ratione finis. Homo, ut animal rationale, debet tendere ad finem suum intendendo et volendo, humano scilicet modo. Ergo cognoscendo hunc finem. Sed cognoscere non potest sine revelatione. Ergo.

Ratione mediorum. Homo debet se disponere ad finem suum per actus quosdam proportionatos fidei spei, amoris, etc., per cultum proportionatum ordini ad quem est elevatus. Atqui hoc exigit revelationem. Cf. *Enchiridion* Denzinger-Bannwart, 1786 (1635), 1789, 1795, 1796 (1638, 1643, 1644); hic 9, *e*.

SCHOLION

Quaestio quid possit ratio humana respectu mysteriorum cum soleat alibi tractari diligentius, hic breviter indicanda potius quam tractanda fuit. Ceterum res facilis est. Necessaria dat, et quidem egregie, concilium Vaticanum, Constitutio *Dei filius*, c. 4; *Enchiridion*, 1795, 1796 (1643-1644).

THESIS VII

DE COGNOSCIBILITATE REVELATIONIS

1) Revelatio divinitus proposita debet esse ut talis certo cognoscibilis.

2) Atque hanc cognoscibilitatem sibi vindicat revelatio christiana, et quidem maxime per signa miraculorum ac prophetiae.

PRAEVIA

76. 1. Positio facile intelligitur ex dictis; quid et qualis sit haec certitudo, et quomodo vel a mera probabilitate vel ab evidentia cogente distinguatur, quomodo etiam vix aut ne vix quidem exsistere sine congrua voluntatis dispositione possit, jam satis perspicuum est. Cf. Brugère, n. 41.

2. Vix quidquam saepius dicitur quam nihil esse fidei cum scientia et religionem totam esse a sensu quodam mystico. Porro hoc neque verum esse de ulla religione positiva, neque congruere revelationi christianae, qualem certe Catholici propugnant (nam Protestantium non paucos et theoretice et practice ad sentimentalismum ac mysticismum quendam vel kantianum vel nescio quem devenire res est perspicua) jam demonstravimus. Quaedam esse vel in Evangelio vel apud Patres ac theologos in eumdem sensum primo adspectu videntur, sed, si quis attendit, aliud plane sonant. Praeviam hanc certitudinem cum non possint habere fideistae, damnati sunt[1]. A simili autem errore non satis cavent nostris temporibus Catholici quidam, vel kantianis opinionibus imbuti vel scholastico, quem dicunt, intellectualismo nimis infensi.

3. Saepe dictum est nostris temporibus, et quidem non solum a Protestantibus, sed a Catholicis quoque, non appellari miraculum a veteribus ut motivum credibilitatis. Hoc non vere dici satis apparet ex conspectu nostro historico (vide superius,

1. Vide superius, n. 9, *b*, *c*, *d*.

n. 39 sqq. et patebit ex thesi : quanquam nec contendimus rem esse ab illis theoretice elaboratam ut nunc fit, nec negamus aliquos fortasse in usu criterii hujus esse impeditos per praestigias quae apud Paganos circumferebantur; vel etiam ne magiae criminationi ansam darent.

4. Documenta fidei afferemus in thesi. Totam hanc thesim diligenter tractaverunt Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*[2], t. 4, p. 338 sq., 444 sq. et Denzinger. *Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss*, t. 2, p. 320 sq.; cf. etiam Didiot, *Logique surnaturelle objective*, théorème 34 sq.; Ottiger, th. 18. cf. th. 16 et 17; Klee, *Histoire des dogmes*, t. 1, c. 1, n. 10 sq.; Hettinger, *Théologie fondamentale*. § 18, n. III, p. 252 sq.; Lahousse, n. 84 sq.: P. de Broglie, *Les conditions modernes de l'accord entre la foi et la raison*, leçon 1-3. cf. ejusdem *Les relations entre la foi et la raison*, 1902. Sed maxime appellandus est A. Gardeil, in articulo *Crédibilité* jam saepe laudato. Nos diligenter superius, n. 39 sqq. et in libro *La foi et l'acte de foi*, 2e édition (1908), 2e partie, c. 2, ubi etiam habes documenta ex S. Thoma, Appendice. Documenta ecclesiastica attulimus n. 9.

PROBATUR I. — *Certo cognoscibilis.*

1. Antequam *credam* Deo loquenti oportet *sciam* Deum esse locutum, idque eo magis quod multae religiones ut revelatae circumferuntur. Cf. 2.2, q. 1, a. 4, ad 2; 2.2, q. 2, a. 1, ad 1; a. 9, ad 3; *C. Gent.*, 1, 6.

Aliter : Assensus fidei debet esse rationabilis. Ergo motivo certo innixus. In quo adverte non quemlibet requiri, ex hypothesi, assensum, sed certum. Vide supra, 9, *a*.

SCHOLION

Non paucae sunt controversiae de ea certitudine praevia idque vel inter Catholicos, ut jam indicavimus, quae partim sunt per Ecclesiae auctoritatem diremptae : ut quod non sufficit ad actum fidei notitia solum probabilis revelationis, neque ulla collectio probabilitatum intra limites probabilitatis con-

clusa; ut quod haec certitudo praevia non potest ita esse a fide ut non sit aliquo modo a ratione fidei divinae praevia, etsi potest esse a fide humana rationabili et prudenti. Praeter eas, aliae sunt quasi technicae, quae libere agitantur : utrum haec certitudo talis possit esse ut evidentiam attingat, et non modo evidentem faciat credibilitatem revelationis vel veritatis revelatae, sed evidens faciat etiam factum revelationis; utrum et quo sensu sufficiat certitudo practica, certitudo relativa; utrum haec certitudo possit esse mere rationalis, an aliquem gratiae interventum, non quidem ad supplenda motiva credibilitatis rationalia, sed vel ad complenda vel ad perspicienda, requirat. Quae controversiae cum technicae sint, et non conferant directe ad ipsam credibilitatem neque ad theoriam credibilitatis rationalis qua talis, nobis videntur melius tractari, ubi agitur theologice de fide, quam ubi apologetice de religione. Quapropter eas hic omittimus.

PROBATUR II. — *Hanc cognoscibilitatem sibi vindicat revelatio christiana.*

78. 1. Christus et Apostoli motiva credendi rationi hominum, et quidem ut certa, proposuerunt. Ergo.

Ad antec. vide *Mat.* 11, 2-6; 9, 6; *Joan.* 5, 36, 39, 46; 10, 37 sq.; 14, 10-12; 15, 24; — 11, 14-15, 41, 42; 2, 11; 2, 23; 3, 2; 4, 53; 7, 31; 12, 37-40. Haec, inter multa, ut sunt apud Ottiger, p. 315-8. Nos n. 40, superius. Item Apostoli, ut Petrus, *Act.* 2, 14-36; 3, 12-26; 10, 37-42; — Paulus, *Act.* 13, 17-42; 14, 14-16; 17, 22-31; *Rom.* 1, 4; 2 *Cor.* 12, 12; *Hebr.* 2, 4; 2 *Petri*, 1, 13-51; 1 *Joan.* 5, 4-12. Cf. Ottiger, l. c. Nos n. 41, superius.

2. Patres, v. g. Justinus, qui dicit se demonstraturum rationabiliter a christianis coli Christum et Spiritum sanctum, ἀποδείξομαι... μετὰ λόγου... *Apol.* 1, 13; utitur autem miraculis et maxime prophetiis, ἥπερ μεγίστη καὶ ἀληθεστάτη ἀπόδειξις, *l. c.* 30; cf. 53 : τὰ τόσαυτα γοῦν ὁρώμενα πειθὼ καὶ πίστιν... μετὰ λόγου ἐμφορῆσαι δύναται; cf. 62, ubi ad miracula Mosis provocat, et *Dial.* 7. Quanquam pauca sunt de miraculis. Vide superius, n. 43.

Quadratus, in eo quod superest fragmento, ostendit quantum differant a magicis praestigiis miracula Christi. *P. G.* t. 5, 1265.

Auctor Epistolae *Ad Diognetum*, 7, ex eo quod Christiani ὅσῳ πλείονες κολάζονται, eo plures fiant, arguit ibi inesse virtutem Dei. Funk, 1, 535. Vide superius, n. 44.

Theophilus Antioch. *Ad Autolycum*, 1, 14 ex prophetiis arguit. *P. G.* 6, 10. 5. Tertullianus, *Apolog.* 20, 21; Item *Adv. Marcionem*, 5, 1 : « Nihil interim credam, nisi nihil temere credendum esse. » Item ex prophetiis et miraculis Christi. Vide superius, n. 45.

Origenes, *Contra Celsum*, miraculis et prophetiis demonstrari veritatem christianam, duce Paulo 1 *Cor.* 2, 4; l. 3, c. 24 sq., 33; l. 1, c. 38, 67, 68. Vide superius, n. 46.

Arnobius, *C. Gentes*, 2, 11 : Miraculis Christi « quivis posset ad necessitatem credulitatis adduci » utpote quae sint « divinae alicujus atque incognitae potestatis ». Augustinus : « Utique vides aliquid, ut credas aliquid, et ex eo quod vides credas quod non vides. » *Sermo* 126, n. 3; atque hoc, n. 4 et 5, applicat miraculis Christi. Idem, *De fide rerum quae non videntur* : « Multum falluntur, qui putant nos sine ullis de Christo indiciis credere in Christum », et appellat « ea quae nunc videmus praedicta et impleta », n. 5. Cf. n. 10, de mirabili propagatione. — In libro *De utilitate credendi*, ostenditur aliud esse *credere* et *esse credulum*, c. 9, n. 22; et multis argumentis probatur non temere nos credere, cum det Ecclesia rationes cur sibi credatur; sicut Christus praecipiebat fidem, sed sibi « conciliavit miraculis auctoritatem, auctoritate meruit fidem », c. 14, n. 32. Ibid. multa sunt alia in eumdem sensum. Cf. Denzinger, *l. c.*, 2, 325, ubi alia Augustini testimonia afferuntur de vi probativa miraculorum ac prophetiarum.

Paucis, quid aliud egerunt quotquot pro religione scripserunt nisi eam rationi approbare? Vide initium opusculi *Quod Christus sit Deus*. Superius, n. 50. Similia Bernardus, Epist. 190, sive Tract. de erroribus Abaelardi, c. 4, t. 1, 649.

3. Documenta Ecclesiae : Vide superius, n. 9.

4. Theologorum auctoritatem non est cur allegemus, cum res sit manifesta. S. Thomam supra attulimus. Cf. etiam, si libet, *Acta Vaticana*, apud Gaudeau, n. 775, 790 sq., 862 sq., 899 sq.

SCHOLIA

79. 1. Contra hanc thesim multa afferuntur vel ex Scriptura vel ex Patribus, quae non sunt ad rem, de quibus cf. Ottiger, p. 318 sq. Hujusmodi sunt : Quod Christus beatos eos dicit qui non viderunt et crediderunt, *Joan.* 20, 29; quod eos reprehendit qui non credunt nisi miraculis, *Joan.* 4, 48 et passim; quod petentibus miracula denegat, *Mat.* 12, 39 et passim; quod miracula occulte facit, etc.; quod ab observatione mandatorum repetit agnitionem doctrinae ut divinae, *Joan.* 7, 17 et passim. Respondeo haec non opponi doctrinae ipsius Christi de credibilitate, sed in alia linea dici et aliud respicere.

Quod Patres hoc ex LXX interpretum versione maxime extollunt: « Nisi credideritis, non intelligetis », *Is.* 7, 9, ut ostendant debere fidem praeire rationi, ut Clemens Alexandrinus, qui etiam docet esse πίστιν ἀναπόδειχτον; ut Origenes qui dicit rudes ἀλόγως credere; ut Augustinus saepe, ut Anselmus; quin etiam S. Th., 2. 2, q. 2, a. 10, dicit ratione inducta minui meritum fidei. Respondeo haec dici in linea fidei, ubi praeire debet fides rationi, non in linea credibilitatis, ubi fidei praeire debet ratio.

Quod Tertullianus dixit : « Credibile est, quia ineptum est; certum est, quia impossibile est. » *De carne Christi,* 5; cf. *De Bapt.*, 2; *Adv. Marcionem,* 3, 17. Cui affinia sunt non pauca apud Pascal, apud Bossuet, apud Paulum, de stultitia praedicationis. Respondeo haec dici ut retundatur superbia humana, et exaltetur Dei sapientia, non ut suus tamen non sit locus rationi in praeambulis fidei.

Multa etiam petuntur ex ratione, quae vide vel apud Ottiger, p. 325 sq., vel apud cursistas passim. Nos ea refellimus sufficienter ex dictis.

2. Ex thesi apparet esse vere scientificum processum Catholicorum. Atque hoc ne ipse quidem Renan negat, *Souvenirs*[10], p. 281, 134, et passim. Vide Gardeil, *La crédibilité et l'apologétique,* cum passim, tum maxime, l. 2, c. 1.

THESIS VIII

DE CRITERIIS REVELATIONIS.

1. *a*) **Revelationis criteria alia sunt interna, alia externa; interna sunt notae vel materiales, ex objecto revelationis desumptae, vel formales, ex modo proponendi; externa sunt vel effectus doctrinae, vel mores nuntiorum, vel maxime miracula cum physica tum moralia et prophetiae.** *b*) **Porro utrinque distinguendum est criterium: negativum et positivum, probabile et certum, objective vel subjective efficax, vulgare et scientificum.**

2. *a*) **Criteria negativa eo ipso quod falsitatem eliminant, etiam positive usurpari cum alicujus principii, v. g. ex divina Providentia, subsidio utiliter possunt.** *b*) **Nec tamen requiritur ut vel omnibus omnino religionibus vel omnibus ejus quae validas pro se habeat rationes doctrinis applicentur.**

3. *a*) **Criteria positiva interna, ut sunt utilissima ad alliciendum et praeparandum animum, ita ipsa per se sola potius convenientiam et dignitatem alicujus religionis, quam divinam ejus originem demonstrant;** *b*) **Non potest autem haberi pro criterio positivo identitas veritatis revelatae cum ratione humana, sicut nec experientia quaedam interna veritatis extrinsecus revelatae, nec pro criterio negativo sola non identitas vel supernaturalitas.**

4. *a*) **Miracula autem et prophetiae sunt « divinae revelationis signa certissima et omnium intelligentiae accommodata ».** *b*) **Contra quorum vel possibilitatem vel dignoscibilitatem nihil affertur quod valeat, cum ratio hanc ipsam evidenter evincat.**

5. *a*) **In usu vero, omnia fere ita erunt adhibenda ut totum hominem appelles, conciliando per criteria interna et inducendo ad studiosam pulchrae et appetibilis veritatis inquisitionem; mentem vel convincendo, vel certe inducendo ut rationabiliter Ecclesiae magisterio se tradat, per criteria externa prophetiae, miraculi vel physici vel moralis, aut si quid aliud magnam hujus religionis faciat aestimationem, eique auctoritatem conciliet; confirmando rationes allatas hinc necessitate religionis et appellatione Providentiae,**

inde exclusione omnis alterius religionis per criteria negativa. *b*) **Quanquam in ea re plurima sunt pro personis temperanda.** *c*) **Cavendum vero est in primis ne vel certitudinem proprie dictam aut nimis secteris aut nimis vindices, vel suas partes ei aliquo loco non facias; item ne non satis vel nimium rationi nudae tribuas.**

PRAEVIA

80. 1. In hac thesi totam, quantum visum est, doctrinam de criteriis complexi sumus. De qua late, inter multos, Ottiger, § 16-25, p. 148-272 (toto scilicet, c. 3); cf. Brugère, c. 4, n. 29-41 (cavendo tamen ne ea quae contra abusum rationis nudae et pro usu criterii intrinseci, item contra nimium studium immediatae certitudinis, pro utilitate rationum probabilium utiliter dicta sunt male intelligas); Mazzella, art. 8-11, ceterosque tractatores saepe indicatos. Plurima diligenter legenti et omnia perpendenti patebunt. De ceteris breviter.

2. Pars 1 tota est in notionibus et definitionibus. Sequimur Ottiger, p. 149 sq. Alii paulo aliter, ut Brugère, n. 29. Porro notae formales intrinsecae fere coincidunt cum nota extrinseca quae est ex moribus praeconis; item nota extrinseca ex effectibus doctrinae magnam habet affinitatem cum notis quibusdam intrinsecis ipsius doctrinae; distinguenda autem est ab experientia Protestantium interna, de qua 3, *b*.

Criterium negativum dupliciter intelligitur, vel quatenus est positive eliminativum, ut si quid adest positive malum aut si quid deest positive necessarium, vel quatenus nihil ex eo sequitur. Prior notio melior est.

2. Usus criterii negativi (p. 2) duplex est : *eliminativus,* et secundum hoc magnus est et expeditivus — quanquam valde cavendum est ne praejudicia pro criteriis negativis inducas, ut nihil esse supernaturale, non fieri miracula, esse contra rationem quidquid est supra rationem, ut faciunt Rousseau, Cousin, Strauss, Renan, et quotquot a priori repudiant examen mysterii, miraculi, etc.; *positivus,* quatenus, eliminatis falsis religionibus, principio indirecto concluditur eam quae remanet veram esse oportere, siquidem necesse est veram esse ali-

quam religionem. Quod dicitur 2, *b*, est partim contra Rousseau, *Profession de foi* (édit. de 1823, t. 4, 83) qui exigit examen omnium religionum; partim contra Hermes qui vult applicari omnibus doctrinis alicujus religionis, v.g. christianae, hoc criterium antequam assentias. Cf. Ottiger, th. 14, p. 301 sq.

3. In usu criterii interni (p. 3) vix cavetur ab alterutro excessu. Porro distinctione opus est, ut jam viderat Pascal, sententia n. 52 allegata. Vix enim ulla est hujusmodi nota quae nata sit logicam certitudinem facere de origine supernaturali, et, si omnia perspicienti splendor quidam affulget vere divinus, hunc splendorem vix videbit qui non ab intrinseco rem viderit, scilicet qui jam non crediderit. Sed etiam aliis valde utilis est is usus, modo quis sit aptus, et quidem dupliciter : 1) ad praeparationem subjecti et fovendum studium : 2) quatenus ex iis fit facilior gradus vel ad argumenta quae divinam originem evincant, vel ad admittendam auctoritatem saltem humanam cui possis tuto te tradere manuducendum.

3 *b*) est partim contra Rationalistas, qui omnia viribus humanae rationis metiuntur (cf. Rousseau, *l. c.*, p. 77-80), cum contra supernaturalitas sit potius in religione exspectanda, partim contra mysticismum protestanticum. Cf. Ottiger, th. 15, et *Acta Vaticana,* apud Gaudeau, n. 790 sq.

4. Praecipuas esse partes miraculi et prophetiae ad vindicandum interventum divinum patet ex natura rei. Sed sunt in ea re non paucae difficultates vel inter Catholicos et Rationalistas, vel Catholicorum inter se :

a) *De notione miraculi*, idque non uno ex capite. Quidam enim falsam omnino notionem miraculi attulerunt, ut Houteville, etc., quos ad philosophos amandamus. Sed iis adjungendus non est Augustinus, qui verbis tantum ab usitata notione discrepat. — Inter eos qui miraculum definiunt factum sensibile praeter consuetum naturae cursum, alii, ut S. Thomas, pro miraculo habent id quod superat vires totius naturae creatae, ac proinde specialem ipsius Dei interventum requirit (quo sensu *specialem* dicamus facile intelligitur) ; alii, ut Benedictus XIV, quod superat vires naturae sensi-

bilis. Apologetice rem spectantibus utrumque valet, modo in miraculo secundi ordinis, quod dicitur, pateat non a malo angelo, sed a bono esse factum extraordinarium. Utraque igitur notio, pro rei opportunitate, potest adhiberi.

Non est ergo cur immoremur in divisionibus miraculorum; sufficit distinguere miraculum physicum et morale (de quo cf. Ottiger, p. 272-3).

b) *De possibilitate miraculi.* Hanc negaverunt etiam Deistae vel saeculo 18, vel 19, inducti alii falso conceptu vel miraculi vel necessitatis legum naturalium, alii falsa notione vel Providentiae vel divinae immutabilitatis vel ordinis miraculi ad utramque. Nunc multi, et quidem magis logice, quaestionem ad ipsam Dei existentiam reducunt, ut Stuart Mill, ut Huxley, ut Sir Oliver Lodge.

Singularis est positio E. Renan, qui cum a posteriori, non a priori, negare se miracula profiteatur, tamen omnia congerit quasi res a priori esset tractanda, et, ubi miraculum narratur, a priori recusat.

Similia fere Harnack, qui contendit nihil hujusmodi afferri nisi probabile, cum tamen certitudinem historicam argumentis haud validioribus comparari putet.

c) *De dignoscibilitate miraculi.* Dignosci miraculum posse maxime negant Rationalistae (quo facilius scilicet vel ejus existentiam vel vim apologeticam enervent). Nota sunt quae habent de ea re Hume, Rousseau, Renan, Zola.

Difficultatem etiam faciunt in ea re quaedam testimonia Patrum, maxime Augustini, qui dicit aliquando dignosci miraculum doctrina potius quam miraculo doctrinam. Cf. Pascal-Havet, art. 23, n. 1 et passim.

Hujusmodi tendentiis plus aequo tribuerunt recentiores Catholici non pauci, vel certitudine historica parum confisi, vel placitis Kantianorum aut Positivistarum nimium imbuti.

d) *De vi apologetica miraculi.* Hanc denegant fere Protestantes nostro saeculo, quibus adhaeserant (ante scilicet Encyclicam *Pascendi*) ii Catholici de quibus modo dictum est. Qui etiam contendunt esse secum in ea re Patres, et praecipue Augustinum; sed falso, ut ex thesi 7 apparet. Quin immo ne Pascal quidem iis, ut volunt, suffragatur.

Nos autem cum vim apologeticam miraculi vindicamus, non contendimus hanc vim statim apparere omnibus, ut nunc sunt comparatae mentes hominum. Quanquam putamus, si res utrinque rite peragatur, paucos esse qui non hanc vim aliquando percipiant. Nobis autem quantum sit in hujus argumenti usu insistendum vel adversariorum conatus ad vim ejus enervandam ostendere aliquo modo debet, si quis non satis acquiescit dictis Ecclesiae.

5. De prophetia idem fere valet quod de miraculo, atque ipsa species quaedam miraculi est, et ut talis adhibetur. Porro quidam e Patribus, ut Justinus certe et ut fortasse Augustinus, alter altera de causa, plus fere videntur prophetiae tribuisse in demonstratione christiana quam vel ipsi miraculo.

6. *Bibliographica.* De thesi *in genere*, vide tractatores jam saepe laudatos : Ottiger, Hettinger, Brugère, ceteros quos th. 7 allegavimus. Addendus est Gutberlet, *Apologetik*[3], t. 2, Münster, 1904, § 11; item. A. de Poulpiquet, *Le miracle et ses suppléances,* 1913.

Notis intrinsecis multum dedit Pascal; multum Chateaubriand, Bougaud; multum Lacordaire ceterique fere contionatores; nec aliud fere S. Thomas in Summa *Contra Gentes,* nisi quod non inde divinitatem revelationis vult ostendere, sed eam tantum approbare rationi humanae ostendendo ejus convenientiam cum ratione, analogiam cum veritate philosophica, etc.; sic etiam fere Monsabré; sic Souben, *L'esthétique du dogme,* 1899; magis apologetice Lingens, *Die innere Schœnheit des Christentums,* altera editio, Friburgi Brisgoviae, 1902.

De miraculis innumera est librorum copia. Praeter philosophos catholicos recentiores qui solent in suis tractatibus *De cosmologia* de miraculo dicere, praeter S. Thomam, qui pauca quidem apologetice de miraculo, cf. *C. Gentes,* 1, 6, sed philosophice omnium optime, duce in multis Augustino, de eo tractavit, v. g. *C. Gent.* 3, 98 sq.; 1, q. 105; 3, q. 43 et 44 (de miraculis Christi); *de Potentia,* q. 6; praeter Dictionaria theologica vel apologetica (v. g. Vacant in Dict. apologétique de Jaugey; item Bergier, Dict. de théol.), praeter tractatores de vera religione et multos tractatus apud Migne in *Dém. évangéliques;* praeter *contionatores*, ut sunt Lacordaire, Mon-

sabré, Félix, Frémont, possumus enumerare : Newman, *Essays on biblical and ecclesiastical miracles;* Van Weddingen, *De miraculo,* Louvain, 1869; de Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons;* E. Müller, *Natur und Wunder,* in *Strassburger Theologische Studien,* fasc. 1 et 2, Frib., 1894; A. de la Barre, *L'ordre de la nature et le miracle* (collect. *Sc. et Rel.*, 1899 et 1909); Goix, *Le miracle* (ibid., 1898); Lescœur, *La science et les faits surnaturels contemporains,* 1900; Vallet, *Qu'est-ce que le miracle?* Idem, *Les trois formes du surnaturel.* Tronchère, *Il n'est pas impossible de constater de vrais miracles;* Coste, *Le miracle* (collection *Sc. et Religion*); Gondal, *Le miracle,* 1894; Sortais, *La Providence et le Miracle devant la Science moderne,* 1905; Hugueny, *L'Église et le miracle,* in libro laudato, c. 12; Gardeil, *La Crédibilité et l'Apologétique,* cum alibi, tum in Appendice, *Note sur la preuve par le miracle* (tantum in 1ª editione).

In periodicis catholicis, maxime in iis quae apologetica sunt, ut *Revue pratique d'apologétique, Revue apologétique,* etc., continuo occurrit aliquid de miraculo; sic in *Études,* in *Revue des sciences philosophiques et théologiques,* etc.

Quae spectant miracula in concreto, postea indicabuntur.

Notionem miraculi pervertit E. Le Roy, in *Annales de philosophie chrétienne,* oct. nov. déc. 1906, contra quem multi prodierunt, v. g. : J. Lebreton, *La notion du miracle,* in *Revue pratique d'apologétique,* 15 janvier 1907; Gardeil, *loc. cit.; La pensée contemporaine,* 25 janvier 1907; Maisonneuve, *La notion du miracle,* in *Revue du clergé français,* 15 juin, 1er septembre, 1er décembre 1907; B. de Sailly, *La notion et le rôle du miracle,* in *Annales de philosophie chrétienne,* juillet 1907.

De miraculo et scientia medicali, cf. J. de Bonniot, *Le miracle et les sciences médicales,* 1879; Dr Van der Elst qui non pauca de his rebus scripsit, annis 1911-1912, cum in *Revue pratique d'Apologétique,* tum in *Revue de philosophie;* cujus etiam vide articulos *Guérisons miraculeuses,* et *Hystérie,* in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès.

De miraculis Christi postea. De miraculis Lapurdanis (*Lourdes*), innumera sunt quae scripta sunt. Noti sunt libri

D. Boissarie, D. Bertrin. His addi possunt : Castelein, *Le surnaturel dans les apparitions et les guérisons de Lourdes*, 1912; De Bruno de Grandmaison, *Vingt guérisons à Lourdes discutées médicalement*, 1912; alii de quibus vide D^r van der Elst, *Revue pratique d'Apologétique*, 1^er juillet 1913.

De Prophetia et Prophetis, egregie S. Thomas, 2. 2, q. 171 sq.; in specie, Jos. Bl. Becker, *Die Weissagungen als Kriterien der Offenbarung*, Mayence, 1890; Lagrange, *Pascal et les Prophéties messianiques*, in *Revue biblique*, oct. 1906, t. 3, p. 533-560. Touzard, *Comment utiliser l'argument prophétique*, 1911.

DECLARANDO PROBATUR

81. 1. *Divisio criteriorum.* Patet ex rei natura et ex verbis ipsis.

2. *De usu criterii negativi. a*) Quid fieri possit. Hujusmodi enim ratiocinium institui potest : Oportet esse aliquam religionem veram. Atqui non haec, nec illa. Ergo catholica. — Et similia.

b) Quid non requiratur. Eo ipso quod una religio habet pro se criteria positiva *certa*, sequitur neque ceteras religiones esse veras, neque esse quidquam in ea religione quod rectae rationi contradicat. — Ut omittam examen illud vel singularum religionum vel singularum doctrinarum esse impossible vel omnibus vel certe plurimis.

3. *a*) *De usu criteriorum positivorum internorum.* Esse utilissima in suo ordine evidens est; quin etiam adjuncto criterio negativo et principio de quo supra, 2, *a*, fiunt objective sufficientia. Sed sola nec supernaturalitatem evincunt, et eos fere percellunt qui intus sunt et jam exculti sunt. Cf. Blondel, *Lettre*, ubi de Ollé-Laprune et Fonsegrive.

b) *Quid non possit haberi pro criterio.* De identitate vel non identitate patet, siquidem religio nostra supernaturalis est. Item de experientia interna, quae, quocumque intelligitur modo, nec semper datur, nec necessaria est, et viam fere

aperit subjectivismo et illuminismo, ut patet experientia Protestantium.

4. *a*) *De criterio ex miraculo et prophetia.* Res evincitur ex natura rei, ex usu perpetuo a temporibus usque Christi et Apostolorum, ex documentis Ecclesiae (ad hominem), ex conatu adversariorum, etc.

b) *Miracula esse possibilia et dignoscibilia.* Quae contra *possibilitatem* miraculi afferuntur, quasi miraculum vel potentiae divinae, vel sapientiae, vel immutabilitati repugnaret, aut ordinem rerum essentialem vel omnem certitudinem scientificam tolleret, omnia vel falsam de Deo, de miraculo, de legibus naturae notionem implicant, vel passim ac temere fieri miracula.

Porro miraculum, etsi specialem, quodam sensu, Dei interventum requirit, cadit tamen ipsum sub generalem Providentiae ordinem ; etsi est contra cursum consuetum naturae, non est tamen nec contra essentialem rerum dependentiam a Deo nec contra ordinem causarum adaequate spectatum; etsi est effectus singularis cujus explicationem non habet scientia causarum secundarum, non est tamen contra scientiam, sicut nec contra leges naturae adaequate spectatas, sed praeter utrumque, ut casus singularis et exceptio, cujus rationem et explicationem aliquam ipsa habet scientia vel eadem vel altior, immo, eo ipso quod datur ut exceptio et praeter ordinem, et regulam et ordinem implicat. Paucis : id efficit interventus Dei in miraculo, quod causa secunda in consueto cursu. Reducitur ergo quaestio ad existentiam Dei. Cf. explicationes auctorum, et maxime S. Thomae de ea re. — Hoc concedit Rousseau.

Dignoscibilitas majorem habet difficultatem. Maxima haec est, omissis Hume et Rousseau cavillationibus, quod non omnes naturae vires cognoscimus, et quod saepe erratum est, et quod pro miraculo certe multa olim essent habita quae nunc obvia sunt... Sed nihil inde sequitur nisi cautissime esse in ea re procedendum. Nam aliquando cognosci certo potest aliquem effectum, qualis in concreto datur, non esse a viribus naturae. Ad quod non requiritur ut scias *in genere* quid possint vires naturae, quid non possint (quanquam et hoc vel de

quibusdam effectibus vel de modo efficiendi cognosci potest), sed sufficit ut *hic* effectus *in concreto* cum omnibus adjunctis, explicationem ex causis et viribus naturae ignotis non admittat. Qua in re non in genere et a priori, ut videtur, procedendum est, sed in concreto, omnia spectando, causas erroris eliminando, ipsam Dei providentiam, si necesse est, appellando. Advertendum quoque est dubium esse posse de aliquo facto, si sit singulare, sed, si multa sint, excludi explicationem naturalem vel eliminatione vel adjunctione alicujus circumstantiae quae ordinem naturalem transcendat. Cf. *Nature et surnaturel,* c. 10.

N. B. — 1. Non contendimus hanc esse posse vim probandi quae reluctantem cogat et omne effugium tollat ; sed hanc esse aliquando posse quae prudens dubium excludat, maxime si causas ordinis moralis et Dei providentiam spectes.

2. Quae dicta sunt, de utroque genere miraculi valent, physico et morali. Sed aliqui magis afficiuntur miraculo physico, aliqui morali. Hoc magis *suadet.*

5. *Summa de usu criteriorum et modo procedendi.* Haec pars, ut summi momenti est practice, ita post ea quae jam dicta sunt, nullam habet difficultatem speculative. Non est ergo necesse eam multis verbis vindicare.

SCHOLION

Non videtur operae pretium scripto tradere et refellere objectiones quas contra miraculi vel possibilitatem vel dignoscibilitatem attulerunt Hume, Rousseau, Renan, Sully Prudhomme, Séailles, alii, eo maxime quod plurimae jam praeoccupatae sunt. Omnes enim quae afferuntur difficultates vel falso supposito laborant fieri temere miracula, in naturae cursu vel legibus nihil esse contingens, etc., vel ad inanes cavillationes reducuntur. Evidens enim res est, si Deus existit, posse fieri miracula ; si quae facta sunt, posse aliquando dignosci.

CAPUT II

QUOD RELIGIO CHRISTIANA VERA EST RELIGIO

82. 1. In hac parte applicamus quae in genere dicta sunt superius. Porro omnia argumenta afferre quae pro christiana vel catholica religione militant, eamque ad singula criteria exigere hic non possumus. Quin etiam evolvere ullum argumentum non est nostrae intentionis. Unum hic volumus : argumenta indicare et viam procedendi.

2. Ut omni numero absolutum argumentum habeamus, utile est ostendere originem divinam non modo religionis christianae, sed etiam mosaicae, cum artus sit inter utramque nexus. Non tamen tractabimus separatim de mosaica religione, non quod argumentum ex V. T. jam educi non posse ut quibusdam visum est (v. g. Mgr d'Hulst, *La question biblique*) putemus, sed brevitatis et facilitatis causa. De ea tamen non omnino nihil dicemus, sed ea tangemus quae sint necessaria vel ut appareat divinam esse religionem judaicam vel ut constet jam non esse veram religionem. Quod tum rite intelligas si cogites quomodo una eademque sit religio naturalis, positiva, judaica, christiana, catholica, quomodo aliqua possit inter eas admitti distinctio et quomodo inter se habeant singulae.

3. Solent fere auctores hic authentiam cum Veteris Testamenti tum Novi demonstrare. Porro etsi hoc, modo res rite intelligatur, valde utile est, cavendum tamen est ne vel huc omnia reducas, vel in quaestiones incidas valde difficiles, vel non satis scientifice procedas et incerta pro certis tradas. Aliud enim plane est Pentateuchum esse Moysi, aliud certa

esse praecipua puncta historiae judaicae (in quibus appareat digitus Dei); aliud esse evangelia nostra eorum quibus attribuuntur, aliud certa esse praecipua miracula Christi et maxime ejus resurrectionem. Item in aliis non paucis. Cf. *Un siècle, Le dogme et la pensée catholique,* ubi de quaestione biblica; Lagrange, *Revue biblique*, avril 1903, XII, 292-313 de libro A. Loisy, *L'Évangile et l'Église*. Aliter enim quam per immediatum testimonium scriptum testis oculati potest haberi certitudo historica; quin etiam ipsa existentia et fides alicujus communitatis haberi aliquando potest pro sufficienti testimonio. Cogita quod dixit Harnack de quinto quodam evangelio scripto in conscientia communitatis christianae primaevae.

4. Tota haec demonstratio magis fere fit summam rerum intuendo quam nimis immorando rebus singularibus et minutis. Datur enim de summa et substantia rerum certitudo quae in punctis minusculis aliquando deficit. Accedit quod non technice hic procedimus, sed humane, ut convenit in re religiosa et morali, quae res humana est. Aliunde cavendum est ne, vagis et confusis verbis potius quam rebus contentus, vix aliquid probes. Ex quibus fere fit ut demonstratio christiana, etsi quodammodo facilis est viro bono et bene disposito, non facile efferri ita queat ut nihil adsit offendiculi, nihil exceptionem admittat. Idque eo magis quod cum demonstratio sit ex rebus ipsis, ut dicebat Origenes, res autem ipsae ob oculos poni non possint, vis demonstrationis maxime est in suggerendo, in adjuvando ut rem ipse consideres.

5. Non est verum quod saepe objicitur, idque vel ab ipso Renan, nos proficisci ab inerrantia librorum sacrorum. Nam neque tota nostra demonstratio libris innititur, neque libris ut divinis, sed ut humana fide (saltem in quibusdam) dignis. Quae fides humana, quoad substantiam rerum, ne omnimodam quidem supponit authentiam librorum.

6. Hic unum argumentum generale damus, quod pleraque breviter complectatur, et continuo transimus ad christianam religionem. Quod cur faciamus facile intelligitur. Videsis Brugère in Praefatione et passim; item Bougaud, *Introduction*, ad finem (cavendo tamen ab omni excessu).

THESIS IX

1) Rem summatim intuenti occurrit religio una, apud Judaeos primum ut elementaris, imperfecta relate ad alteram futuram, prophetica et prospectans in futurum; apud Christianos deinde ut Judaicae complementum, quae, ut originem divinam vindicat, ita vel ut veram religionem divinitus institutam se probat adhibitis omnibus criteriis veritatis revelatae.

2) Contra quam nihil afferri potest quod valeat; quod cum ei soli competat, vel ipsa est vera religio vel nulla est;

3) Quae notis intrinsecis omnes religiones transcendit, Deo digna, homini idonea;

4) Ad quam instituendam et conservandam intervenisse Deum certum est cum ex consideratione divinae Providentiae in communi, quae ut in mundi physici cursu et ordine apparet, ita etiam in hujus religionis institutione et gubernatione ipsa se manifestat; tum ex miraculis et prophetiis, quae cum aliter tum libris fide dignis cognoscimus; certum quoque ex eo quod et existentia et historia hujus religionis oondiciones rerum humanarum transcendit.

PRAEVIA

83. 1. Haec thesis haberi potest et ut praelibatio aliqua totius demonstrationis, et ut summaria quaedam demonstratio ex summis rerum capitibus praecipua exhibens argumenta. Quae si bene et traditur et accipitur, vim habet magnam, idque non solum ad christianam, sed etiam ad catholicam veritatem stabiliendam. Quanquam hic non intendimus de catholica religione dicere nisi quatenus identica est christianae.

2. Facta quae argumento praebeant quasi materiam, debemus supponere. Ceterum res non est eruditionis. Cf. P. de Broglie, *La transcendance du Christianisme,* in *Religion et critique,* p. 157. Res in summa spectanda est. *Ibid.*, p. 155-6.

3. Adverte non sumi argumentum nostrum ex sola consideratione miraculi vel physici vel moralis, sed etiam ex ordine

Providentiae communi. Ut enim Deus dupliciter in mundo se manifestat, vel in rerum cursu consueto vel in factis extraordinariis, ita religio nostra dupliciter divinum interventum exhibet.

4. Inter auctores qui aliquid de re nostra innumeri tractaverunt satis est hic indicare : Augustinum, *De catechizandis rudibus* et *De civitate Dei,* passim; Bossuet, *Discours sur l'Histoire universelle,* 2e partie; abbé de Broglie, in *Religion et critique,* passim, maxime *Définition de la Religion, Définition de la vraie religion, Transcendance du Christianisme, Transcendance du judaïsme;* multa apud Lacordaire, de quo cf. Folghera, *L'apologétique de Lacordaire,* 1905; apud Freppel (quae fere collegit Barbier in *Les origines du Christianisme, pages choisies de Mgr Freppel,* Retaux, 1903); plurima apud Pascal, passim. Cf. etiam Mgr Mignot, *Lettres sur les études ecclésiastiques,* 1908, V, *L'apologétique et la critique biblique; L'Église et la critique,* 1910, cum I, 2 et 4, tum maxime IV, *La Bible et les religions;* J. V. Bainvel, *L'enquête religieuse et le fait chrétien,* in *Revue pratique d'apologétique,* 15 mai 1913; *Le fait juif,* ibid., 15 juillet 1913.

INDICATUR PROBATIO

84. 1. *Unitas* haec et *continuatio* religionis judaicae et christianae factum est evidens; unde fit ut haec religio appareat ut aliquid unicum : apud Judaeos, ipsa existentia hujus populi separati, monotheismus, idea messianica et certus prospectus expansionis in omnes gentes; apud Christianos, Christus et Apostoli, societas christiana victrix et perseverans, etc.

2. *Applicatio criterii negativi. a*) Afferuntur quidem multa contra eam, sed quae nullo modo evincant esse ibi quidquam indignum Deo, contra rationem... Etsi suus relinquitur locus imperfectioni relativae, proportioni cum statu imperfecto hominis ejusque natura, etc.

b) In ceteris religionibus multa contra : apud veteres et ubicumque non valuit religio judaica vel christiana (nam et mahumetismus huc refertur), viget polytheismus; apud recentiores qui se ab hoc influxu excluserunt (quantum scilicet

potuerunt, nam nemo nihil omnino ab eo habet), vel deismus philosophicus et religio naturalis, quae sit figmentum potius mentis quam veri nominis religio, paucorum non vulgi; vel subjectivismus et relativismus qui naturae hominis rationali non satisfaciat; vel atheismus variis indutus agnosticismi, idealismi, pantheismi nominibus. Quae omnia longe abhorrent ab ejusmodi religione quam natura hominis, recta ratio, intimus appetitus requirit.

N. B. — Non est effugium dicere evolvi religionem, esse in fieri, esse aliquid unum sub variis formis relative verum. Cf. J. V. Bainvel, *La religion et les religions*, in *Revue pratique d'apologétique*, 15 mars 1913.

3. *Applicatio notarum intrinsecarum positivarum.* — *a*) Hae notae multae possunt afferri : praestantia et sublimitas doctrinae de Deo, de homine, cum facili accommodatione ad captum vel rudium; solutio omnium problematum rationabilis, facilis, certa (memento quae scripsit Jouffroy de catechismo, quae habet Al. Dumas in oratione academica ad Leconte de Lisle); fecunditas et influxus in evolutionem mentis humanae (theologia christiana, cf. Lacordaire, *Des effets de la doctrine catholique sur l'esprit,* 1843); cohaerentia per tot saecula, homines, libros (ut dicebat A. de Broglie : « dix-huit siècles de logique, c'est quelque chose »); convenientia dogmatis cum ratione in iis quae captum rationis non superant, mirae analogiae in iis quae superant; tanta totius religionis et altitudo et convenientia cum hominis natura, vel individua vel sociali, et cum legitimo hominis appetitu, etc. Quo referri possunt effectus hujus doctrinae et religionis mirabiles vel intimi vel sociales. Cf. Lacordaire, 1843, 1844, 1845, etc. Item Weiss, *Apologie,* passim. Referri etiam virtutes et dignitas cum fundatoris, Christi (cf. Lacordaire, 1846; Félix, 1864), tum praeconum : Moysis, Prophetarum, Apostolorum, etc.; item eorum qui Christum maxime coluerunt, ut sancti.

b) His notis et similibus evidenter apparet *transcendentia* relativa hujus religionis; item quam digna sit Deo, quam idonea homini; apparet eo ipso pro ea esse Providentiam divinam; et vel nullam esse religionem divinam vel hanc esse.

c) Hinc evincitur origo divina saltem indirecte, cum ex eo

quod ea religio se exhibet ut divinam, tum ex eo quod summa haec veritatis et virtutis sine divino interventu non haberi experientia constat; ut omittam id quod jam dictum est, esse manifestum indicium Providentiae divinae in hujus religionis favorem, unde fit ut pereat fides Providentiae cum fide hujus religionis.

4. *Applicatio criterii externi positivi.* — *a*) Miracula et prophetiae in ipsa existentia populi judaici imbibuntur et libris fide dignis continentur (citra controversias de auctore vel de temporibus, stat et valor historicus aliquorum saltem documentorum, et necessitas factorum sine quibus nec traditio nec existentia populi aut instituti hujus causam habet sufficientem). Exemplo sint exodus ex Ægypto, historia Core (Num. 16), multa Eliae, Elisaei, prophetarum miracula, ipse Prophetismus, clades exercitus Sennacherib; idea messianica in Christo impleta, multa de Christo dicta longe ante, impleta, etc. In Novo Testamento miracula multa Christi et nominatim ejus resurrectio; item miracula apostolorum (ut omittam miracula quaedam certa in vitis sanctorum et in historia Ecclesiae ad nostra usque tempora). Item prophetiae Christi, v. g. de propagatione suae religionis.

b) Haec transcendentia in judaismo apparet ex duobus maxime capitibus, ex monotheismo et ex idea messianica; in christianismo habemus ipsum Christum, propagationem religionis, transformationem mundi, perseverantiam et unitatem Ecclesiae, fecunditatem in omnibus bonis, etc. Cf. verba Vaticani superius allata, n. 9, *e*, et Pii IX, 9, *d*. — Quin etiam vel idea unitatis religiosae per omnes gentes, et propagationis per talia media non potest esse ab hominibus, ut saepe ostenderunt apologetae. Vide Freppel, *Les Peres apostoliques,* 1re leçon.

Crescit autem vis argumenti, si quis desperatas explicationes spectat eorum qui haec omnia ad causas humanas voluerunt redigere, ut Taine, ut Renan, etc. Cf. P. de Broglie cum locis superius allatis tum in *Présent et avenir du catholicisme* (contra Taine).

Crescit ex comparatione cum historia, propagatione, doctrina vel indole ceterarum religionum et cum vita fundatorum,

qualia haec nunc cognoscimus ex religionum historia. Cf. abbé de Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des Religions;* Huby, *Christus;* Bricout, *Où en est l'histoire des religions?*

THESIS X

1) Admissa credibilitate evangelicae historiae, et quidem ob rationes invictas, et ex libris evangelicis et aliunde desumptas,

2) Divinam Christi missionem probant et ipsum Christi testimonium, et prophetiae in eo impletae, et miracula ejus cum multa alia tum potissimum resurrectio ex mortuis, et prophetiae ab eo factae, et tota persona Christi.

PRAEVIA

85. 1. Alia est aliquo modo credibilitas evangelicae historiae, alia credibilitas evangeliorum. Etsi enim multa facta Christi in individuo non cognoscimus nisi ex evangeliis, sunt tamen, praeter evangelia, indicia multa vel in aliis scriptis Novi Testamenti, vel in historia cum profana tum ecclesiastica, et in testimoniis vel Patrum vel aliorum, atque etiam in vita et existentia Ecclesiae, ex quibus satis appareat Christum esse divinitus missum ad fundandam Ecclesiam, miracula patrasse, a mortuis surrexisse, etc. Hoc testimonium Ecclesiae primitivae, haec viva in ea vestigia Christi et cetera hujusmodi non ita simplex fortasse et facile exhibent argumentum, sed validissimum rite intuenti et omnia perscrutanti.

2. Alia est quaestio de credibilitate evangeliorum, alia quaestio de eorum origine, fontibus, auctoribus. Non quod nullus sit nexus inter utramque quaestionem; sed hic nexus non talis est ut non possit credibilitas evangeliorum ostendi nisi solutis reliquis quaestionibus. In quo duo sufficit advertere :

A. Etiam si aliqua esset ratio prudens dubitandi num evangelia, qualia nunc habemus, sint ab iis quibus attribuuntur, secundum hanc ipsam formam, non continuo periclitatur

credibilitas librorum nostrorum, quippe qui vinculo perpetuo cum testibus oculatis necessario connectantur, neque probari publice a primis temporibus potuerint, nisi hunc ipsum Christum exhiberent qui vivus esset in omnium mente et memoria vel ex recenti recordatione vel ex praedicatione apostolorum vivoque testimonio, vel ex scriptis documentis indubiae fidei. Non enim modo *nostris* evangeliis attestantur Justinus aut Muratorianum aut Irenaeus aut Tertullianus, et quidem ut publicis documentis, sicut etiam Marcion, Celsus, apocrypha, sicut ipse, ut videtur omnino, Papias; sed Christum evangelicum, et quidem formulis evangelicis (nam variantes secundum hunc respectum minimi sunt momenti) exhibent evidenter Epistolae Ignatii, Epistola Barnabae, Διδαχή, Epistola Clementis; eumdem exhibent Epistolae Paulinae, eumdem exigit tota aetatis apostolicae historia. Sit ergo suus locus criticae, alliciantque criticos problemata illa de synopticis, de Joannis evangelio, de agraphis, de apocryphis, etc., sed haec suo sint loco.

B. Tot et tanta sunt vel testimonia vel indicia et authentiae et veracitatis in libris evangelicis, qualia vix in ullum scriptorem conveniant. Fatentur autem increduli non rationibus criticis induci se ut de his dubitent, sed quia ibi narrantur miracula, quae fieri ipsi negant. Sic Renan : « Ces deux négations-là (du miracle et de l'inspiration) ne sont pas chez nous le résultat de l'exégèse. Elles sont le fruit d'une expérience qui n'a point été démentie. Les miracles sont des choses qui n'arrivent jamais;... on n'en peut citer un seul qui se soit passé devant des témoins capables de le constater... Ce n'est pas par ce qu'il m'a été préalablement démontré que les évangélistes ne méritent pas une créance absolue, que je rejette les miracles qu'ils racontent. C'est parce qu'ils racontent des miracles que je dis : les Évangiles sont des légendes; ils peuvent contenir de l'histoire, mais certainement tout n'y est pas historique. » *Vie de Jésus* [17], 1882, p. VI et passim. Similia Harnack, idque non semel. Cf. Pesch, n. 190, n. Hinc Renan : « A la base de toute discussion sur de pareilles matières est la question du surnaturel. Si le miracle et l'inspiration de certains livres sont choses réelles, notre méthode est détes-

table. Si le miracle et l'inspiration des livres sont des croyances sans réalité, notre méthode est la bonne. » P. IX. Quid si hoc ipsum est in quaestione utrum hoc in casu facta sint miracula? Quod autem dicit Renan esse postulatum nostrae demonstrationis fidem inspirationis et miraculorum falsum est. Nam primo non arguimus ex libris sacris ut inspiratis, sed ut historicis; deinde unum contendimus, male negari a priori miracula; utrum dentur, inquirendum erit. Primo, non potest ex eo argui quod nunc non fiunt miracula, neque de miraculis fides historica datur. Nam neque hoc *scientifice* negatur, neque hinc transitus legitime fieret ad casum nostrum, cum is casus sit omnino singularis. Item non bene arguitur ex eo quod multa circumferuntur falsa miracula cum aliis in casibus, tum maxime in religionum fundatoribus. Nam evidens est magnum esse utrinque discrimen vel in rebus ipsis, vel in testimoniis. Deinde, etsi praesumptio generaliter stat contra miracula, hic tales sunt circumstantiae ut praesumptio stet pro miraculis.

Tandem, quod maxime valet in casu, cum dentur hic rationes *certae* credendi narrantibus, non licet, ob praejudicia et opiniones dubias, miracula eximere a communi credibilitate librorum; idque eo magis quod :

a) Hic miracula nexu intimo et quasi necessario cum reliquis conjunguntur;

b) Effectus certi sine miraculo explicari non possunt : majus esset miraculum sine miraculo esse factum, ut fides resurrectionis sine resurrectione.

3. Sufficit divinam Christi missionem probare. Nam hoc dato cetera consequuntur. Quanquam argumenta allata, si recte perpenduntur, non modo missionem hanc, sed vel specialem omnino Christi condicionem, vel esse Messiam, vel etiam esse Deum ostendunt. Hic, ut solemus, quasi summam argumentorum breviter indicamus. Etsi omnia argumenta afferre non est nostrae intentionis, cum argumenta undique confluant quae vel singula rem evincant, vel ad effectum generalem aliquo modo concurrant, aliquem Christi adspectum illustrando.

4. *Bibliographica*. Pauca ex innumeris possumus indicare.

a) De credibilitate evangelicae historiae et evangeliorum praeter evangelia ipsa et vitas Christi (ut Fouard, Le Camus, Didon, Lesêtre, etc.); praeter *studia* de Christo vel per contionatores (ut Lacordaire, 1846; ut Félix, 1864; ut Besson, *L'Homme-Dieu;* ut Monsabré, 1878-1881, cf. Conf. de S.-Th.-d'Aquin; ut Frémont, etc.); vel in libris (ut Bougaud, t. II; ut Portmans, *la Divinité de Jésus-Christ*); praeter Dictionaria, vel apologetica, ut Jaugey-d'Alès; vel biblica, ut Vigouroux, Hastings; vel ecclesiastica, ut *Kirchenlexicon,* ad verba *Evangiles, Jésus-Christ*, etc.; praeter introductiones biblicas, vel generales, ut Vigouroux, Cornely, vel particulares ad Novum Testamentum, ut Trenkle, Belser, Brassac, Jacquier, vel particulares ad singula evangelia, ut Fillion, Knabenbauer, specialia sunt de ipsa credibilitate evangeliorum : Wallon, *L'Autorité de l'Évangile*, qui titulus est 3ae editionis, Paris, 1887; Bœse, *Die Glaubwürdigkeit der Evangelien*, Fribourg-en-Brisgau, 1896; Gondal, *La Provenance des Évangiles,* Paris, 1898 (aliud fere agit Batiffol in *Six leçons sur les Évangiles,* Paris, 1897); Mangenot, *Les Évangiles synoptiques*, 1911; Lepin, cum in suis libris tum in articulo *Evangiles, Dictionarii* Jaugey-d'Alès, ubi omnia habes collecta.

b) De Christo et de miraculis aut persona ejus, iidem fere, additis oratoribus, ut Bossuet[1], Bourdaloue, ceterisque apologetis, ut Pascal, etc. Adde Picard, *La transcendance de Jésus-Christ,* 1905; articulum *Jesus-Christ* apud Hastings, *Dictionary of the Bible* (Sanday); et articulum *Jésus-Christ* (Léonce de Grandmaison) in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès; Pressoir, *Revue pratique d'apologétique*, 15 déc. 1910; Hugueny, *Le fait du Christ,* in *Critique et Catholique,* c. 1; Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité.* De miraculis Christi adde Fillion, *Les miracles de N.-S. Jésus-Christ* (1912); Mangenot, *La résurrection de Jésus,* 1910. De opinionibus rationalistarum, Fillion, *Les étapes du rationalisme,* 1913.

c) De rei summa eminet inter theologos L. Billot, *De Verbo incarnato,* 3a editio, 1912, maxime 2a parte, *De miraculis Christi*, et 3a parte, *De credibilitate mysterii Incarnationis.*

1. Jam indicavimus ut praecipua mentione dignum *Discours sur l'histoire universelle,* II, 19.

PROBATUR I

Credibilitas historiae evangelicae.

86. 1. Huic credibilitati *historiae evangelicae* attestatur *historia tota temporum apostolicorum* qualem vel ex scriptis Novi Testamenti vel ex scriptis aliis sive profanis sive ecclesiasticis cognoscimus; attestantur *libri* ipsi Novi Testamenti, ut Actus Apostolorum, Epistolae Pauli; attestatur *sensus vivus et fides* communitatis primigeniae, quin etiam *existentia et tota vita* hujus communitatis, qualem vel ex documentis coaevis perspicimus, vel ex attestatione certa scriptorum posteriorum, vel ex continuatione et societatis et testimoniorum ad prima usque tempora et ad eos qui Christum viderunt; attestantur ipsa Evangelia, ut testimonia ineluctabilia hujus fidei.

Vim hujus argumenti perspiciet qui omnia rei momenta perpenderit, citra omnem controversiam de genuinitate talis libri, de auctore, de fontibus. Haec pauca exempli gratia. Historiam evangelicam in genere, miracula Christi ejusque resurrectionem supponit historia Pauli, scripta ejus genuina, etc.; supponit ipsa existentia evangeliorum nostrorum, eorum ortus et usus in communitate christiana, independenter ab eorum consideratione critica. Porro ab hac evangelica historia miraculum tolli non potest, cum hoc ipsum in ea imbuatur... etc. Neque huic credibilitati officit quod critice dubitari fortasse posset de auctore alicujus epistolae, vel de aliquo capite *Actuum*. Remanet enim substantia rerum, remanet existentia communitatis miraculo et fide resurrectionis innixa, etc.

2. *De credibilitate evangeliorum.* A) In genere. Credibilitati *evangeliorum nostrorum*, et prout sunt, quoad substantiam, opus genuinum Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, et prout sunt praeconium publicum de vita et doctrina Christi, attestatur auctoritas et fides antiquitatis christianae, attestantur evangelia apocrypha, testimonia vel impugnationes scriptorum gentilium, haeretici, atque vel ipsi critici recentiores partim sponte, partim inviti; attestantur characteres intrinseci narrationis et multiplex fallendi aut ita fingendi impossibilitas.

B) In specie. De credibilitate ob genuinitatem. Genuinitas hic credibilitatem facit (etsi credibilitas non innititur tota genuinitate). Porro α) Pro *genuinitate*, substantiali scilicet, adsunt rationes quae vix in alio casu concurrant :

α) Testimonium antiquitatis christianae quantam vim habeat vel ex hoc intelligitur quod agitur de testimonio publico in re magna [1], quod antiquioribus continuatur, etc. Porro habemus vel de singulis evangeliis vel de evangeliis in genere insignia documenta, qualia vix de ullo scriptore profano dantur. Adsunt explicita testimonia Papiae, circa 130, secundum dicta presbyteri Joannis; Justini, Irenaei, Tertulliani, fragmenti Muratoriani, Clementis Alexandrini. Concordia Tatiani, Διατεσσάρων, circa 170, quatuor nostra evangelia supponit. Allegationes, vel implicitas vel explicitas, quae vel scripta evangelia vel vivum evangelium supponunt, jam habemus in Διδαχῇ, in Epistola Clementis, in Epistolis Ignatii, in Epistola Polycarpi, in Epistola Barnabae, in *Pastore* Hermae.

β) Apocrypha vel evangelia, vel acta, vel apocalypses nostris evangeliis attestantur vel certe historiae evangelicae. Evangeliis ipsis maxime evangelia, quippe quae eorum existentiam implicent quorum se produnt ut imitationes, complementa, corruptiones, et ansam dederint discernendi falsa a veris, et alios habeant characteres. Cf. Tischendorf, *Evangelia apocrypha*, 1853; Variot, *Les Évangiles apocryphes*, 1867; multa in *Texte und Untersuchungen*, item in *Texts and Studies* (Cambridge, 1891 sq.). Vide Nau, *Apocryphes*, in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès.

N. B. — Eodem reduci possunt vel Agrapha, vel textus paralleli non canonici (qui fere ad canonicos reducuntur), de quibus cf. Resch in *Texte und Untersuchungen*, 10, 1, 2, 4.

γ) Testimonia et impugnationes gentilium. Celso nota fuisse *nostra* evangelia non minus ac vitam Christi certum est. Porro Celsus secundo saeculo vixit.

δ) Haeretici. Ii, nominatim Basilides, Valentinus, Marcion, non uno modo genuinitati suffragantur : confirmare nituntur

1. Ipsa acceptatio evangeliorum, etiam cum difficultatibus, res magna est.

suas opiniones locis evangelicis, falsationis arguuntur, evangeliis refelluntur, etc.

ε) Recentiores critici. Vide Pesch, 110 sq.; Vigouroux, *Les livres saints et la critique rationaliste*, t. 2, l. 4, c. 3; Prat, *Les évangiles et la critique,* in *Études,* juillet 1897. Durand, *Critique biblique,* in *Dictionnaire apologétique* Jaugey-d'Alès; Prat, Les *Évangiles synoptiques,* in *Études*, 1913. Ii etiam nobis suffragantur, quatenus vel ad nos prope accedunt, ut Harnack, vel nihil firmum possunt inducere, praejudiciis potius quam rationibus criticis abducuntur, frivolis verisimilitudinibus illiciuntur, inter se non consentiunt, quo magis agunt critice propius ad nos accedunt, incredibilia credibilibus substituunt, etc. Quin etiam vix aliquis eorum est qui vi veritatis coactus ea aliquando vel non retineat vel non supponat, quae satis sint ad nostrum intentum.

ζ) Characteres intrinseci. Cf. Pesch, 129-131; Gondal, l. 1, c. 5 et 6; Fouard, *Saint Pierre*, c. 12, 20; *Saint Paul,* t. 2, c. 5. Omnia in libris ipsis ita consonant cum testimoniis ut nulla valeat explicatio nisi veritas testimoniorum. Sermo hebraeos homines et hebraicam loquendi ac cogitandi rationem exhibet. Cf. Vigouroux, *Le N. T. et les découvertes modernes,* La langue; J. Huby, in *Études,* t. 118, p. 249, ubi multi indicantur auctores. De tertio Evangelio paulo aliter dicendum est, et id quidem ut erat exspectandum.

Mira rerum notitia, et ea quidem non eruditione, sed usu et experientia comparata vivendique consuetudine : de statu politico, de vita sociali, etc.

Quae singulos evangelistas spectant vide in introductionibus et commentariis. v. g. apud Fillion vel Knabenbauer in suis Introductionibus ad singulos Evangelistas; item apud Gondal, c. 6; maxime apud Lepin, *l. c.*

N. B. — Huc addi potest convenientia omnium notarum et indiciorum in unum.

b) Credibilitas. Cf. Pesch, 133 sq. — Haec, in casu, consequitur genuinitatem et rationes quae ad eam probandam sunt allatae. — Res aliter efferri potest :

α Christus evangelicus est Christus apostolicus, Paulinus, Petrinus, etc. Ergo Christus verus.

β) Non poterant fidem facere nisi erant fide digni. Unde perspicuum est nec esse deceptos, nec deceptores fuisse.

γ) Characteres intrinseci : sinceritas in narrando, res quae narrantur, Christus qui exhibetur, sententiae, etc. Bene Rousseau, *Profession de foi, l. c.*, p. 105-7 (hic in Appendice).

PROBATUR II

Divina Christi missio.

1. *Ipsum Christi testimonium.* Christus non solum passus est (ut vult Renan) haberi se pro Messia, sed esse saepe ac palam professus est, etiam cum videret hanc professionem causam mortis sibi futuram ; egit et locutus est ut Messias. Porro hoc testimonium credibile est.

Ad Majorem : *a*) faciunt, inter multa Mat. 11, 3 sq. ; 16, 17 ; 26, 64 ; Luc. 24, 25 sq. — Joan. 4, 26.

b) Mat. 5, 20 sq. ; 7, 29 ; 11, 25 ; 12, 41 sq. ; 22, 43 sq. ; 28, 18 sq. ; Joan. 14, 6 ; 3, 15 sq. ; 20, 31 sq. et similia multa.

Ad minorem faciunt sequentia. Hic unum sufficit. Non potuit hoc dicere, si res vera non est, nisi homo vel pessimus vel insanus — quorum neutrum in casu obtinere oportet ipsi adversarii fateantur.

2. *Prophetiae in eo impletae.* Vide Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*[3], 1906. Late Pesch, Propositio 19-21, n. 212-247. Vide maxime, n. 245 ; sed cavendo ne omnia nimis urgeas. Immo ipsa methodus diligenter sectanda est, ne vel nimium tribuas singulis punctis, vel non satis punctis quibusdam particularibus. Cf. Lagrange, *Pascal et les Prophéties messianiques,* in *Revue biblique*, oct. 1906, t. 3, p. 533-560, quem etiam non audemus in omnibus probare ; Touzard, *Comment utiliser l'argument prophétique*, 1910.

Haec firma manent : In Christo et per Christum videmus impleta ea quae per prophetas dicta sunt de bonis messianicis et religione messianica, de persona Messiae et in opprobriis et in gloria (ut omittam singularia, velut est nativitas in Bethleem, divisio vestimentorum in Passione, fel et acetum, etc.), de vo-

catione gentium ad Deum Israël et rejectione populi Judaici, de regno messianico.

3. *Miracula Christi.* Cf. Pesch, Prop. 16; S. Th., 3, q. 43-44; Origenes, *Contra Celsum,* l. 2; Athanasius, *Contra gentes,* Orat. 2, n. 18, 19, 49; Félix, 1864, 5e; Monsabré, 1880, 46e; Brassac, *Manuel biblique,* t. 3, p. 2, ch. 1, art. 2; de Bonniot, *Les miracles de l'Évangile,* in *Études,* janv.-févr. 1888; Lescœur, *La science et les faits surnaturels*, 1900, ch. 2-4; Sanday, apud Hastings, *Dictionary of the Bible,* t. 2 (1899), p. 625-629, etc., etc. Bene et breviter enumerat miracula Christi, Lesêtre, in *La clef des Évangiles*[4], n. 156 sq., 1902.

Dubium de miraculis Christi non sinit veritas historiae, nec character Christi, nec Providentia Dei; maxime si cogites haec esse omnino conjuncta cum factis iis quae ab omnibus agnoscuntur. Adverte miracula haec esse *signa,* dari et haberi pro signis, etc. Cf. quae nos diximus, *Nature et surnaturel*[4], c. 10, p. 297 sq.

4. *Resurrectio Christi ex mortuis.* Pesch, Propositio 17. Bourdaloue, *Sermon sur la Résurrection;* West, *Observations sur l'histoire de la résurrection,* apud Migne, *Démonstrat. évang.,* X, 1019; Jaugey, *Dict. apol.,* *Résurrection;* Monsabré, 1880, 48e; Brassac, *Manuel,* h. l.; Goix, *Le miracle,* 1898, c. 4; Stapfer, *La mort et la résurrection de J.-C.,* 1898; Sanday, apud Hastings, t. 2, p. 638-642; nuper et quidem egregie Mangenot, *La résurrection de Jésus,* 1910. Bene et breviter Ladeuze, *La résurrection du Christ,* 1908.

Nihil est tam certum, nihil tam efficax. Ergo. Nihil tam certum. Nam, ut difficile est Evangeliorum narrationem in singulis ordinare, ita evidens est, secundum Evangelia, factum resurrectionis. Quin etiam ipsa haec difficultas rite intuenti signum est veritatis de substantia facti. Porro, si non sufficeret testimonium Evangeliorum, quis explicet eventus subsequentes : fidem Apostolorum, fidem primorum Christianorum, ipsam Evangeliorum narrationem, testimonium Pauli et eorum quos appellat Paulus, quidquid narratur in *Actibus* Apostolorum aut continetur in eorum *Epistolis,* existentiam denique communitatis christianae ? — Nihil tam efficax. Nam si Christus resurrexit, evidens est ibi esse digitum Dei.

5. *Prophetiae a Christo factae.* Pesch, Propositio 18; Brassac, *l. c.*, 2e p., c. 1, a. 2; F. Schmid, *Christus als Prophet*, 1892, Brixen.

Christus, ut cetera omittam, et ruinam populi judaici et conversionem gentium et praedicationem evangelii in toto mundo denuntiavit. Ergo.

6. *Tota persona Christi.* Lacordaire, 1846, 37e; Monsabré, 1879; Bougaud. *l. c.;* Bossuet, *Discours sur l'hist. universelle*, 2e p., c. 19; Sertillanges, *Jésus*, 1900; vitae Christi et apologetae passim; Bainvel, *L'étude de J.-C.*, in *Rev. de l'Inst. cath.*, 1901, cf. Cours de 1902, 8e leçon.

Si spectatur ejus doctrina et modus docendi. Cf. Ottiger. th. 30; S. Th., 3, q. 42; Monsabré, 1880, 45e conférence; Lahousse, n. 214; Picard, *La transcendance de Jésus-Christ.*

Si spectatur indoles et vitae sanctitas omnino singularis. Lahousse, 212-3.

Si spectatur praestantia in tota ratione agendi superhumana,

7. *Confirmatur.* 1) Ex adversariis, 2ter : 1) Confessione transcendentiae. Eam enim vel inviti verbis aequivalentibus confitentur Strauss, Rousseau, Renan (ut daemones clamabant: Scio qui sis, Sanctus Dei, *Marc.* 1, 23-24); — 2) eo quod nemo potest Christum ut hominem purum verisimiliter depingere, ut exemplo est Renan. Cf. Lacordaire, 1846, conférences 42, 43, 44; Félix, 1864. Egregie L. Billot, loco laudato.

2) Ex regno in cordibus amicorum ad omnem effectum sanctitatis. Vide Lacordaire, 1846, 39e conférence, maxime p. 73 sq.

SCHOLIA

87. 1. Difficultates contra utramque partem thesis innumerae sunt; quarum solutiones afferunt scriptores catholici pro rei opportunitate. Nos non dicimus nullam esse difficultatem, aut omnia facile explicari. Unum sufficit nobis : stabilita firmiter veritate, ita satisfacere objicienti ut appareat nihil objici quod certo valeat.

2. Ad originem evangeliorum explicandam, ad explicandam vitam Christi innumera sunt excogitata systemata, inter se pu-

gnantia, qualia sunt de origine christianae religionis a Graecis, ab Indis, etc. Quae nec vacat enumerare, nec refellere necesse est, cum ea vel quasi sponte corruant, vel aliis supervenientibus pellantur.

THESIS XI

Divinam christianae religionis originem ostendunt mirabilis ejus propagatio, mundi pagani in christianum mutatio, tot martyrum virtutes et constantia.

PRAEVIA

88. 1. Si Christus est a Deo missus, Deus ipse, divina est religio ab eo fundata. Nunc divinam hanc originem directe demonstramus inspiciendo religionem ab eo fundatam. Porro tria solent in ea re afferri facta, quae cum sint inter se connexa et in unum coeant, tamen ut distincta etiam spectari possunt.

